



600003237L





purch. 7.1827

M. T. CICERONIS
O R A T I O
PRO
T. ANNIO MILONE
REDINTEGRATA ET AD OPTIMORVM
CODICVM FIDEM EMENDATA.

CVM INTEGRO COMMENTARIO
GASP. GARATONII
SELECTISQVE FERRATII PEYRONII ET
ALIORVM ADNOTATIONIBVS
QVIBVS SVAS ADDIDIT
IO. CASP. ORELLIVS
PROFESSOR TVRICENSIS

LIPSIAE
APVD GERH. FLEISCHERVM.
MDCCCXXVI.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

rum libro secundo, adolescentium usui minus accommodatis ab Amadeo Peyronio viro doctissimo publici iuris facta est; quo utilius fore perspiciebam, si utriusque curae bona nova aliqua dote cumulata coniunctim recuderentur. Pro meo quidem instituto integras Peyronii adnotationes repeti nihil attinebat, idque fieri si placuisset, licentius utique abusus essem lectoris patientia, quippe quum plurima is e Garatonianis ad verbum expresserit. Sed nec lectionum monstris omnibus e Lagomarsini codicibus et aliunde enotatis haec editio ut referciretur, quidquam suadebat. Iustus igitur delectus potius erat instituendus, ferendumque simul perpetuum de utriusque Itali sententiis atque opinionibus iudicium, praesertim ubi ab alterutro dissentirem. At si decurtatas iam accipis Peyronii observationes, largissime, quidquid hoc damni est, compensabitur insertis passim egregiis Huldrici, magistri mei grato animo semper colendi, animadversionibus, quas duobus in programmatis Gymnasii nostri Carolini 1799. et 1814. edidit. Quod si post novas Italorum copias aliter fieri vix poterat, quam ut aliquot in locis ab eo abeundum censerem,

(cuius generis pauca quaedam omisi): in plerisque tamen eum cum Garatonio, imo cum vero ipso amice videbis conspirare. Alia quaedam Bremius quoque benigne mecum communicavit.

Ante omnia autem, quum nullam earum, quas nunc habemus, recensionum sequi ratio ipsa me iuberet — siquidem Schuetziana est negligentissima et omnis generis vitiis deturpata, Garatoniana in quibusdam facile iam e Peyroniana corrigenda, in pluribus etiam novissima haec castiganda, — praesertim ubi criticus iste nimio corruptissimi Palimpsesti Taurinensis amore abripi se passus est — novam plane Codicum dumtaxat auctoritati innixam conficere officii mei duxi. Contra codices igitur ne literula quidem immutata est; at eadem religio tria aut summum quattuor putida glossemata in marginem amandari minime vetabat. Iuntinam editionem iam cum multis aliis excusserat Lagomarsini diligentia, quocirca in hac oratione eius varietati commemorandae supersedere poteram; in Planciana non item. In margine autem interiore quae rectis literis excusa vides, Schuetzii sunt lectiones a me reiectae; quibus vero praefigitur signum Griesbachianum ∾, eas

tanquam vel receptis haud multo deteriores, vel ab Italis non sine quadam probabilitatis specie commendatas, vel denique novo examine dignas notavi.

Id autem quemlibet monitum pervelim, ut perlectis ante Garatonii adnotationibus, tum demum de meis iudicium ferat; nam multa in his sine illis haud recte intellectum iri, satis praevideo.

Scire licet Garatonii nullam ad Milonianam exstare praefationem, ne quis forte talem desideret; egregiam vero eiusdem versionem Italicam si tibi obtrusissem, quantos et inopum et avarorum clamores excitassem! Sed eius in locum Ferratii observationes praestantiores in fine libri repetere typographum iussi. Vale.

Scribebam Turici Kal. Septembribus MDCCCXXV.

AMADEUS PEYRON

DE LACUNIS

ORATIONIS PRO T. ANNIO MILONE.

Ornatissimam illam Ciceronis orationem pro Milone Clodianae caedis reo laborare lacunis nec fando fuerat auditum, nec Tullii adnotatores monuerunt. Propter insignem eius elegantiam frequenti manu illam versabant docti, scholasticae iuventuti praelegebant professores sapientissimi, multa, quae imitarentur, excerpebant oratores; at nemo aut vidit aut est suspicatus, male multato contextu, atque interciso sensu, orationem plus semel hiare. Quare quo magis meum hoc iudicium ipsa novitate praestat, eo etiam acrius mihi enitendum est, ut solidissimis argumentis illius veritatem communiam. Primum rationibus ex ipso orationis ordine desumptis lectores adducam in alterius lacunae suspicionem, deinde auctoritate pervetusti codicis lacunam simul confirmabo, simulque explebo; tandem multiplici coniectura alium locum significabo, quem ex Tullii membris antea disiectis, nunc iterum coalescentibus restitutum iri non tantum spero, sed plane confido. His in antecessum disputatis, propius accedam ad subsidia a me adhibita ad orationis textum expoliendum, scilicet ad collationem P. Lagomarsinii; inde vero commoda enascetur occasio disse-

rendi de indole codicum Tullianorum, qui in duplicem familiam mihi maxime distinguendi videntur.

Iam ordine retrogrado venio ad alteram lacunam. Constabat inter omnes Clodium a Milone interfectum fuisse in via Appia; cum ergo necis inficiatione haec causa defendi nequibat, tum alia ratio dissolvendi criminis quaerenda erat, qua recte ac iure factum esse iudicaretur. Placebat quibusdam asserere e republica fecisse Milonem, cum mortem Clodio intulit; quod argumentum secutus est M. Brutus in oratione, quam pro Milone composuit, leg. Quintil. III. 6. et Ascon. in Argum. pro Mil. At secus visum est M. Tullio reputanti, nequaquam privato viro licere quemquam vel sceleratissimum interficere iniudicatum. Quare Tullius, postea quam n°. 3. disputasset, homicidium non continuo esse in criminibus deputandum, gladiumque nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus, n°. 4. proponit unicam totius suae defensionis rationem inquiens: *Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis inlata defenditur.* Qua naturae lege semel constituta, reliquum erat, ut nihil iam aliud quaereretur, nisi *uter utri insidias fecerit*, atque vi vim inlatam propulsaverit n°. 9. Haec porro quaestio cum multis argumentis solvi poterat, tum maxime duobus; narratione caedis ad Bovillas factae, atque iudicatione coniecturali [Quintil. III. 11.] *utri in utrius morte aliqua esset proposita utilitas.* Iam vero rem gestam in via Appia ita exponit Cicero n°. 10. 11. ut vi victam vim, vel potius oppressam virtute audaciam esse colligat. Tum n°. 12. his verbis ad alterum argumentum venit: *Numquid igitur aliud in iudicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi, ut ne sit impune; si ille huic, ut scelere solvamur. Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est in illa quidem*

tam audaci tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum Cui bono fuerit *in his personis valeat; etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur*, et cetera, quibus Tullius demonstrat Clodium, Milone interfecto, magna sperare potuisse, praeturam in primis omni metu solutam, atque liberam acerrimarum legum promulgationem. At perfecto ne argumento usus esset Cicero, nisi vicissim evicisset Miloni non modo nullam spem in morte Clodii fuisse propositam, verum etiam maximam utilitatem ereptam? Atque hanc alteram argumenti partem concludit Tullius iis verbis n°. 13. *Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni*, illam ergo tractaverat. Quod si verum est, quemnam esse transitum dicemus a prima ad alteram argumenti partem? Equidem non video. Illum Ernestius ponebat in verbis *At non P. Clodio remoto* n°. 13. Vellem scire quid tandem Vir Cl. de praecedenti capite *P. Clodi praeturam non sine maximo* etc. decernebat. Quae verba si, uti vident omnes, significant Milonem, vel vivo Clodio, non modo fasces consulares adepturum fuisse, verum etiam eo facilius, quo suffragationem consulatus habuisset in Clodio; iam erit dicendum illa ita pertinere ad alteram demonstrationis partem, ut evincant Clodii mortem obfuisse Miloni consulatum petenti. Sed nonne recta argumentandi ratio postulabat, ut primum demonstraretur nihil Miloni profuisse Clodii mortem, deinde vero obfuisse? Saltem verba, quibus argumentum concluditur *Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodi mors Miloni* innuunt bipartitam fuisse hanc probationis partem; frustra vero in vulgatis editionibus requiro primam particulam *nihil prodest.* Ad haec, quum Tullius in hoc Cassiano argumento multum praesidii poneret at-

que ad illud vellet quam maxime intentos iudices, putabimus ne nova *propositione* usum non fuisse, quum ad alteram argumenti partem digrederetur? Propositionem desiderabat ipsum argumentum, ut insignius eniteret, atque vividius percelleret auditorum animos. Propositionem exposcebat ille excursus de Sexto Clodio inter utramque demonstrationis partem interpositus; qui licet pugnacitatem argumentorum commoda egressione fregisset, animos tamen iudicum alio avocaverat. Iam ergo rediturus orator, unde paullo deverterat, si, ut est in editionibus, ita exordiatur: *P. Clodi praeturam non sine maximo rerum novarum metu* etc., quis hic non desideret commodum transitum, novam propositionem, primam bipartitae probationis particulam, quis non requirat liquidum Tullii ordinem, atque adeo Tullium ipsum?

Est enimvero, est lacuna ante comma *P. Clodi praeturam*, quod male secum cohaeret. Hanc vero qua ratione explebimus? Dicam quod res est. Haec disputabam ut lectoribus approbarem novum additamentum, quod suppeditat folium 24. 31. Taurinensis Palimpsesti. En illud.

FOLIUM 24. 31.
PALIMPSESTI TAURINENSIS.

FUERITOCCIDIMILONEMCO-
VERTITEANIMOSNUNCUI
CISSIMADMILONEM·
QUIDMILONISINTERERATIN
TERFICICLODIUMQUIDERAT
CURMILONONDICAMADMIT
TERETSEDOPTARETOBSTABAT
INSPECONSULATUSMILONI
CLODIUSADEOREPUGNAN
TEFIEBATIMMOVEROEOFIE
BATMAGISNECMESUFFRA
GATORE·
MELIOREUTEBATURQUAMCLO
DIOVALEBATAPUTVOSIUD·
MILONISERGAMEREMQ·P·ME
RITORUMMEMORIAVALEBANT
PRAECESETLACRIMAENOSTRAE
QUIB.EGOTUMVOSMIRIFI
CAEMOVERISENTIEBAMSED
PLUSMULTOVALEBATPERICU
LORUMINPENDENTIUMTI
MORQUISENIMERATCI
VIUMQUISIBISOLUTAM·P·CLO
DIPRAETURAMSINEMAXI
MORERUMNOVARUMME
TUPROPONERETSOLUTAM
AUTEMFOREVIDEBATISNI
SIESSETISCOS·QUIEAMAUDE
RETPOSSETQ·CONSTRINGERE
EUMMILONEMUNUMESSE
CUMSENTIRETUNIVERSUS
P·R·QUISDUBITARETSUFFRA
GIO * * * * * *
LIBERARE·
ATNUNCCLODIOREMOTOUSI
TATISIAMREB·ENIMTENDUM
ESTMILONIUTTUEATURDIG.
NITATEMSUAMSINGULA
RISILLAETHUICUNICONCES
SAGLORIAQUAECOTIDIEAU
GEBATURFRANGENDISFU
RORIB·CLODIANISIAMCLO

IDEM FOLIUM
PAGINA VERSA.

DIMORTECECIDITVOSADEP
TIESTISNEQUEMCIVEM
METUERETISHICEXERCITA
TIONEMVIRTUTISSUFFRA
GATIONEMCONSULATUS
FONTEMPERENNEMGLORI
AESUAEPERDIDITITAQ·MILO
NISCONSULATUSQUIVIVO
CLODIOLABEFACTARINON
POTERATMORTUODENIQ·TEM.
PTARICOEPTUSEST.
N * * * * * *
DESTSEDOBESTETIAMCLODI
MORSMILONIATVALUIT
ODIUMFECITIRATUSFECIT
INIMICUSFUITULTORINIU
RIAEPOENITURDOLORISSUI
QUIDSIHAECSINONDICO
MAIORAFUERUNTINCLODIO
QUAMINMILONESEDINIL
LOMAXIMANULLAINHOC

QUIDVOLTISAMPLIUS·
QUIDENIMODISSETCLODIUM
MILOSEGETEMACMATERIA·
SUAEGLORIAEPRAETERHOC
CIVILEODIUMQUOOMNES
INPROBOSODIMUSILLEERAT
UTODISSEDPRIMUMDEFEN
SOREMSALUTISMEAEDEIN
DEVEXATOREMFURORISDO
MITOREMARMORUMSUO
RUMPOSTREMUMETIAM
* * * * * MREUS
ENIMMILONISLEGE·P·CLODI
FUITCLODIUSQUOADVIXIT
QUOTANDEMANIMOHOC
TYRANNUMILLUMTULISSE
CREDITISQUANTUMODIUM
ILLIUSETINHOMINEINIUS
TOQUAMETIAMIUSTUMFU
ISSE·
RELICUMESTUTIAMILLUMNA

Illud ita mihi supplendum, emendandum, atque distinguendum videtur.

„*Audistis iudices quantum Clodio pro*fuerit occidi „Milonem; convertite animos nunc vicissim ad Milo„nem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? Quid „erat, cur Milo, non dicam, admitteret, sed optaret? „Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius. At eo re„pugnante fiebat; immo vero eo fiebat magis; nec „me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Va„lebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque pu„blicam meritorum memoria; valebant preces et la„crimae nostrae, quibus ego tum vos mirifice moveri „sentiebam, sed plus multo valebat periculorum in„pendentium timor. Quis enim erat civium, qui sibi „solutam P. Clodi praeturam sine maximo rerum no„varum metu proponeret? Solutam autem etc.

Quam belle hoc additamentum cum universo contextu cohaereat, quam eximie argumenti vim perficiat, atque alteram demonstrationis partem ita extrahat ex digressione, ut illam in conspectu iudicum ponat, sentiunt omnes. Habemus conclusionem primae partis *Audistis iudices quantum Clodio profuerit occidi Milonem;* habemus novam alterius partis propositionem *convertite animos nunc vicissim ad* Milonem; habemus demonstrationem, qua orator efficere satagit Miloni non profuisse mortem Clodii; in verbis *nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio* praeoccupata habemus, immo enarrata illa, quae mox sequuntur *suffragationem consulatus . . . . perdidit;* uno verbo dicam, habemus Tullium ipsum.

Altera lacuna ope codicis Taurinensis expleta, ad primam iudicandam venio, quae, non secus ac illa, ignota est.

Me iterum iterumque legentem numerum 12. huius orationis semper illa verba male habebant: *Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen cu-*

riae. Sanissimus fateor, quam qui alius, est locus iste, quippe iisdem plane verbis laudatus ab Asconio in Commentario, et a Quintiliano lib. IX. 2. At quo pacto dicemus haec cum praecedentibus cohaerere? Mihi quidem ista cum superioribus per vim cuneata videntur. Statuebam ergo lacunam esse post verba *deferre posses* Quam suspicionem a contextus consideratione mihi iniectam confirmat etiam Palimpsestus Taurinensis.

Enimvero est mihi folium 25. 30, quod incipit a verbis *sunt partim cum ad raedam* n°. 10. p. 247. lin. 26. edit. Patavinae ad usum Delph. a. 1754. in 4°. atque desinit in verbis *in his personis valeut* n°. 12. p. 249. lin. 1.; quare lineas sex supra triginta Patavinae editionis tenet, quem linearum Patavinarum numerum contineri animadverti in singulis Palimpsesti foliis. Sequens ergo folium [quod periit] incipiebat iis verbis *etsi boni nullo emolumento*, atque claudebatur verbis *audistis iud. quantum Clodio pro.* Atqui a verbis *etsi boni* ad illa *irasci certe non debeo. Audistis iud. etc.* sunt lineae Patavinae triginta supra dimidiam; ergo deperditum folium continebat quinque lineas Patavinas, quae in editione desunt.

Praeterea: nonne ante verba *P. Clodi praeturam* lacuna erat plurium versuum? Quid hoc? Scilicet illae lineae exciderant in pervetusto codice, a quo recentiores scripti libri manarunt, fortasse quia membranae pars vel intercisa desiderabatur, vel evanida, erosa, legentium oculos fugiebat, vel in lacinias abibat; adde ceteros casus, quibus scheda aliqua male multari possit. Cum igitur in pagina aversa illae lineae *fuerit occidi milonem convertite animos . . . . . quis enim erat civium qui sibi solutam* excidissent, quid mirum, si in eiusdem folii pagina recta ipsae illae lineae, quae ex adverso respondebant, pari casu exciderint? Rem, quam innuo, probe tenent philologi vetustis codicibus tractandis assueti, atque paria exempla bene multa vidi in Ambrosianis et Taurinensibus palimpsestis. Tum facile

quisque intelligit, quod ego coniicio, ita scribi potuisse pervetustum illum codicem, ut verba *deferre, posses* n°. 12. essent in pagina recta, iisque ex adverso in pagina versa responderent alia *irasci certe non debeo.* Nec dicere fas est hanc quinque versuum lacunam ponendam esse ante verba *fuerit occidi milonem convertite* etc. Nam in verbis *irasci certe non debeo* video concinne absolutam egressionem de Sexto Clodio, quae incipit iis verbis *Quid? tu me iratum* etc. Porro *iratum* fuisse intellexerat Cicero, quum illum *adspexerit illis quidem oculis.* Haec itaque secum ita cohaerent, ut nulla lacunae suspicio locum habere possit. Conclusio primae argumenti partis longior esse nequibat iis verbis *audistis iudices quantum Clodio profuerit occidi Milonem;* nam conclusio alterius partis paucis etiam hisce verbis continetur *non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodi mors Miloni.* Vix ergo perpauca verba inserenda sunt inter *irasci certe non debeo*, et alia *fuerit occidi milonem.*

Contra imperfectam esse atque hiulcam orationem ante verba *et adspexit* mihi luculenter suadent rhetoricae rationes. Dixerat enim Tullius: *Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse domo, et ex mediis armis turbaque nocturna, tamquam Palladium, sustulisse, ut praeclarum videlicet munus atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses.* Scilicet Tullius maiorem in modum a Sexto Clodio efflagitaverat, ut librarii copiam sibi faceret; maxima vero fit oratoris efflagitatio, si cum Garatonio ter legas *exhibe, exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum.* Vide enixam Tullii in iubendo contentionem! Palladium e flammis ereptum, praeclarum munus, instrumentum tribunatus, sesquipedalis ipsa periodus, omnia anxiam in auditorum animis expectationem concitant de librario, quidnam monstri tandem contineat.

Orator etiam atque etiam iubet; auditores summa expectatione pendent. Quid Tullius feret dignum tanta tamque sollemni efflagitatione? Nihil, praetereaque nihil; subdit enim *et adspexit me illis quidem oculis.* Una ne alterave linea librarii fuit praelecta, qua, veluti specimine, auditores excitatum desiderium explerent, simulque intelligerent, fuisse illas leges faces urbis ac pestes reipublicae? Nihil est praelectum; sequitur enim *et adspexit me illis quidem oculis.* Cur ergo Tullius iussit exhiberi ab adversario librum, cuius ne una syllaba quidem est recitata? — Locus est mutilus. Nonne haec figura natura sua comparata est, ut instar exordii sit, quod consequatur unius aut alterius iniquissimae legis recitatio, sicque maior invidia in adversarium concitetur? Atqui nihil recitavit orator. Nisi ergo locus sit hiulcus, oratorem desidero.

Hisce argumentis adductus quum persuasum haberem locum laborare lacuna, contuli me ad lectionem antiquorum rhetorum, si forte aliquid invenirem, quod orationi redintegrandae conduceret. Ne multus sim, incidi tandem in hunc Quintiliani locum IX. 2. „*'Αποσιώπησις*, quam idem Cicero *reticentiam*, Celsus *obticentiam*, nonnulli *interruptionem* appellant, et ipsa „ostendit aliquid affectus, vel irae, ut

Quos ego: sed motos praestat componere fluctus

„Vel sollicitudinis, et quasi religionis: *An huius ille „legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam „consule? De nostrum enim omnium: non audeo totum dicere*“ Vix verba legi, atque huc esse aptanda sensi; credo enim in anima esse vim aestheticam. *Vivo Milone, ne dicam consule*, Clodius ausus non fuisset hanc legem proponere? ergo haec Tullii sunt demonstraturi Clodio profuturam fuisse Milonis mortem, ut leges suas, hanc vero potissimum rogaret. *Quam Clodius a se inventam gloriatur?* ergo sermo erat de Sexto Clodio, quem iusserat librarium legum exhibere;

si enim Publium Clodium innuisset, utique scripsisset *gloriabatur*, e vivis enim excesserat. Quare locus ita est enarrandus. „An huius ille [Publius Clodius] le-„gis, quam Clodius [Sextus Clodius] a se inventam „gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, „ne dicam consule?“ Atqui in contextu n°. 12. Tullius insectabatur leges Publii Clodii, quas Sextus Clodius amanuensis simul, simulque auctor in codicem retulerat. Nisi ergo omnia me maxime fallunt, Tullii periodus a Quintiliano servata in hunc contextum apposite cadit. Atque hoc Ciceronis fragmentum fuisse ab oratione pro Milone excerptum viderant adnotatores Quintiliani, sed quum in edito textu nuspiam illud legerent, id consilii coeperunt, duce in primis Gesnero adnot. ad h. l. Quintil., ut statuerent illud derivatum esse ab oratione in foro recitata, non item ab illa literis mandata pro Milone.

Sed mihi integram lacunam implere satagenti obversabantur ea verba *An huius ille legis.* Cuiusnam malum? Dubium mihi exemerunt haec verba pro Milone n°. 32. *incidebantur iam domi leges, quae nos servis nostris addicerent*, tum alia n°. 33. *lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus, servos nostros libertos suos fecisset.* Si igitur Cicero specimen sacerrimarum Clodii legum exhibiturus hanc commemoravit n. 32. et 33., quae de servis esset, quidni censeam hanc quoque indicatam fuisse n. 12. ante verba *An huius ille legis* etc.?

Qua opinione quum firmissime tenerer, iterum multa legi a Cicerone, et Rhetoribus scripta, tandem incidi in hunc locum Scholiastae Ambrosiani ad Orationem *pro Aere alieno Milonis* [M. T. Ciceronis sex orationum partes ed. Angelo Maio. Mediol. 1817. p. 97.] En illum ad fidem editionis Cl. Mai

IV. 1. „Nec suffragia dabis quibus ostentas.

„Comminatur et denuntiat se actionibus eius ad-„versarium futurum, nec in legationem cum Pompeio

„discessurum. Laturus autem de suffragio libertino-„rum P. Clodius legem videbatur, ut et [istorum in „censum] aequaliter perveniret.

2. „Nec vero illam nefariam libertatem.

„*Suffragii scilicet libertinorum*, *cuius* legis men-„tio fit in oratione, quae habita est pro Milone.

3. „Atque per . . . de nostrorum omnium non „audeo totum dicere. Videte quid ea vitii lex „habitura fuerit, cuius periculosa etiam re-„prehensio est.

„Opinio erat legem etc.

Itaque post verba *Atque per* est lacuna, quae iisdem verbis concluditur, ac Tullii locus a Quintiliano servatus. Qui vero secum reputaverit Ciceronem tanta verborum ac figurarum copia praestasse, (?) quanta par esset eidem ideae variatis verbis convestiendae, ut adeo Tullius in variis orationibus easdem phrases numquam verbum de verbo exscripserit, quod Homerus fecit; nae ille iudicabit mutilum Scholiastae locum supplendum esse fragmento Quintiliani, hoc modo

„Atque per . . . an huius ille legis, quam Clo-„dius a se inventam gloriatur, mentionem facere au-„sus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De no-„strum enim omnium: non audeo totum dicere.“

Iam vero quid erat, cur Cicero de aere alieno Milonis disputans diceret *vivo Milone, ne dicam consule?* Anne de morte Miloni aut inferenda aut illata agebatur? Nonne Clodius inter vivos erat? Vivebat, imo in Senatum venerat; imo rempublicam suis latrociniis vexabat, multa sperabat; quidni ergo potuisset nefariam legem proponere? Atqui verba *habitura fuerit* non nisi post Clodii mortem dici potuerunt. Hoc ergo fragmentum non ad orationem *pro aere alieno Milonis* pertinet, sed ad nostram *pro Milone*. Quare verba *atque per . . . . reprehensio est* non uti textus orationis *de aere* erant proponenda, sed ad su-

perius commentarium revocanda, ut Scholiasta scripserit: *legis mentio fit in oratione, quae habita est pro Milone: Atque per . . . . reprehensio est.* Laudavit adeo Scholiasta ipsa verba orationis pro Milone, quemadmodum p. 168. excitavit locum libri I. de officiis, ac Xenophontis Cyropediae.

Probe video me turbasse ordinem, quo Cl. Mai textum discriminaturus a commentario dispensavit verba codicis; sed distributionem a me propositam admittit codex ipse Ambrosianus. Enimvero textus a sequenti commentario quandoque ita secernitur in palimpsesto, ut prima littera textus pingatur maiuscula in externa ora laterculi, quod hodierna consuetudo frequentat; quandoque intra lineam incipit textus, spatiolo interiecto post extremam praecedentis scholii vocem, uti codicis pag. LXXVI. [pag. 98. ed. Med.]

LIARUM QUISNON
MEMINERITPUERITIA¯
TUAM
ASPERITATISINVIDIAE
QUAEPLENISSIMACUM

et codicis pag. LXXVII [p. 99. ed. Med.]

QUALITATIBUSAESTUMA¯
DAM TUMHABUIS
TIQUASDAMFORMIDI
NESQUASICORNUA
QUAEDAMEXCIDERUNT
IMPLETA
QUA·P·CLODIUMADFE
REALICUIUSETBELUAE

Tandem sunt loca, in quibus continenti scriptionis serie textus cum commentario omnino confunditur, uti in codicis pagina LXXXIV. laterculo primo [pag. 119. 120. ed. Med.]

EACENSUMNONDETU
LISSECUM·L·LUCULLO
APUTESERCITUMFUIS
SEINASIASCILICETTEM

PORIB·BELLIMITHRIDA
TICIETTESTAMENTUM
SAEPEFECITNOSTRISLE
GIB·APARTIB·ADTOTUM
REB·GESTISQUAMPLURI
MISARCHIAMSIGNA
EDIDISSECIVIS·R·QUAE
NONPOTERATHABERE
PEREGRINUS·
QUIAALOQUIPILASUNT

Tum sequitur alter eiusdem paginae laterculus.

ENIMHAECUTVULGO
COMPERIMUSGENERA
LUDENDIQUISANIMO
TAMAGRESTIETDURO
FUITUTROSCIMORTENO‾
MORERETURQUINTU
ROSCIUMGALLUMDI
CITILLISTEMPORIB·IN
LUSTREMCOMICIOPE
RISAUCTOREMQUEM
FAMILIARISSIMECICE
RODILEXITQUINON
APRIDEMULTOEXCESSE
RATILLAMARIUSIDEM
EXIMIAE·L·CLODIUM
DILEXITHICPRIMUSRO
MASTUDIALATINADO
CUISSEERGOILLUMQUI
HAECFECERATRUDINO
HOMINEMRATIONE
RUDINUSFUIT·Q·ENNI
USQUEMSUPERIORAFRI
CANUSDILECTUMFAMI
LIARISSIMIETIAMCO‾
MUNICATOSEPULCHRI

Habes integrum laterculum. Nullum ergo certum atque constans criterium suppeditat codex, quo textus a scholiis distinguatur. Iam veniam ad controversum locum, cuius imaginem ad codicis fidem subiiciam.

NECSUFFRAGIADABISQUI
BUSOSTENTAS
COMMINA
TURSEETDENUNTIAT
ACTIONIB·EIUSADVER

Ita desinit a pagina recta LXXV, tum sequitur pagina versa LXXVI cuius integrum exhibebo. primum laterculum.

SARIUMFUTURUMNEC
IN***ONEMCUM
POMPEIODISCESSURU-
LATURUSAUTEMDESUF
FRAGIOLIBERTINORUM
P·CLODIUSLEGEMVIDE
BATURUTETI*S*CUMIN
****AEQUALITERPER
****NECVEROILLA-
NEFARIAMLIBERTATEM
LEGISME-
TIOFITINORATIONEQUAE
HABITAESTPROMILONE
ATQUEPER
DENOSTRORUM
OMNIUMNONAUDEO
TOTUMDICEREVIDETE
QUIDEAVITILEXHABITU
RAFUERITCUIUSPERICU
LOSAETIAMREPREHEN
SIOESTOPINIOERATLEGE

. . . . . . *Extremae lineae quatuor legi nequeunt.*
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Vacuum itaque interiacet spatium. Quid hoc tandem rei est? „Huiusmodi spatia vacua haud raro occurrunt in codice, quae replenda videntur modo voculis graecis, quas librarius, quia graeci fortasse erat ignarus omisit; modo latinis, quas idem librarius ideo forsitan non scripsit, quia exscribebat e codice corru-

pto, aut mutilo." Haec monebat Cl^{us} Mai p. 63. nota [2]. Cum codicis aetas distet ab illa auctoris vix uno alterove saeculo, dubitari potest de tanta tamque frequenti corruptela, quantum arguerent vacua spatia, quae passim offenduntur in codice. Quare equidem coniecerim, hoc commentarium exscriptum fuisse ex adnotationibus, quas vir eruditus in usum suum vel in adversaria retulerat, vel orae codicis Tulliani adleverat, sed male conscribillatis, in quibus frequentes liturae officerent lectioni, cuiusmodi esse solet primum operis tentamen offusum, uti fit, lituris, emendationibus, additamentis quaquaversus exaratis. Cum itaque librarius paucarum litterarum homo offendisset huiusmodi exemplar, hunc confecit codicem, in quo multa errata admisit vel in Tulliano textu proponendo, quod ex orationibus pro Archia, Sylla, et Plancio facile constat; ordinem textuum perturbavit, uti quisque videt pro Plancio XXXIV. 1. et XXXIV. 2.; tandem multis vacuis spatiis testatus est, se continentem orationis seriem haud potuisse expiscari in Scholiastae autographo. Quae coniectura eo spectat, ut dubium eruditis eximam, utrum tot veniant inserendae voces, quot recipiendis par sit vacuum spatium. Sane Cl. Editor optima quandoque divinatione lacunas supplevit eo litterarum numero, quem non admitteret vacuum schedae spatiolum. Sic in proposita pag. LXXVI. Vir Cl. his verbis *suffragii scilicet libertinorum cuius* supplet vacuum spatium ante vèrba *legis mentio.*

Quae quum ita sint, haud video quid officere possit distributioni textus a me superius propositae. Nihil etiam vetat, quo minus in spatiolo unius versus desiderentur tres, quinque vel decem lineae; maxime si citandus erat notissimus locus, cuiusmodi ille erat orationis pro Milone. Sic in Tulliano textu describendo multa verba omissa vide Orat. *pro Plancio* n°. X. 1. XI. 1. XXVIII. 2. Atque utinam Ambrosianus Scholiastes laudasset integrum textum Milonianae orationis.

Atque per . . . de nostrorum; haberemus enim suppletam, quam hucusque demonstravi, lacunam. Sed quando vix prima et postrema verba supersunt, ad coniecturas confugiendum est, quas antequam proponam, attentius perpendam duo laudata loca interrogationis, in quibus non una tantum lex indicatur, quod visum est Cl. Maio, sed duae diversae leges Clodianae innuuntur, quod Garatonius [*M. T. Ciceronis Oratio pro Milone cum adnotat.* Bononiae 1817. p. 212.] optime vidit. En primam:

„Nec suffragia dabis quibus ostentas.

„Comminatur et pronunciat se actionibus eius adversarium futurum, nec in . . . . onem cum Pompeio discessurum. Laturus autem de suffragio libertinorum P. Clodius legem videbatur, ut et *ipsis* cum *ingenuis* aequaliter per*tineret.*"

Ita enim suppleo. Recole quae Asconius ad Milonianam XXXII. adnotat: *Significasse iam puto nos fuisse inter leges P. Clodi, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae proprie ingenuorum sunt, ferre.* Prima ergo lex Clodiana communicabat libertinis illud suffragii ius, quo gaudebant ingenui, ut non solum in urbanis tribubus suffragium ferre possent, verum etiam in rusticis cum civibus ingenuo loco natis. Eo spectaverat Appius Claudius, quum, *humilibus per omnes tribus divisis, forum et campum conrupit* Liv. IX. 46., at, non ita multo post, Q. Fabius, *ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, urbanasque eas adpellavit.*

Altera lex ita proponitur:

„Nec vero illam nefariam libertatem [sub. *dabis.*]

„Huius legis mentio fit in oratione, quae habita „est pro Milone: *Atque per . . . de nostrorum omnium:*

„non audeo totum dicere. Videte quid ea viti lex „habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio „est. Opinio erat legem etc.

Ita enim edendus atque supplendus est locus. Nam si haec etiam intelligenda sunt de suffragio libertinis ampliando in rusticis tribubus, quaero quî tandem hoc suffragium appellasset *nefariam libertatem?* Nonne legitima, ac iusta libertate fruebantur libertini? Clodius ergo libertatem ipsis impertiri nequibat, quam iure possidebant. Contra, verbis constat sua veritas, si haec de servis intelligantur, quos nefarie in libertatem asserere meditabatur Clodius. At statuemusne omnes omnino servos Clodium manumissurum fuisse unica lege? Incredibile hoc foret, absurdum, atque supra Clodianam audaciam. Superest itaque, ut unum tantum servorum genus manumittere conaretur Clodius, hoc vero potissimum. Scilicet norunt omnes medium fuisse gradum inter iustam libertatem, atque servitutem. Nam servi, qui neque vindicta, neque censu, neque testamento, sed per epistolam, aut inter amicos, aut adhibitione ad convivium manumissi fuerant, libertate quidem utebantur intra domesticos parietes, at nulla civilia iura sive Latinorum, sive Quiritium consequebantur; nonnisi anno U. C. DCCLXXI. lege Iunia Norbana ius Latinum ipsis concessum est. Clodius igitur suorum suffragatorum numerum amplificaturus legem excogitaverat, qua eiusmodi servis iusta libertas a iure concederetur, ac Romana civitas. Iam, lege Clodiana in ordinem libertinorum allecti, per universas rusticas tribus, non secus ac libertini [quod prima lege Clodius proposuerat] dispertiti fuissent, atque adeo comitia in libertinorum manum venissent. Hanc legem apertissime innuit Cicero pro Milone n°. 33. *lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset.* Recte *fecisset libertos suos*, eos enim sua lege Clodius manumittebat. Fac nonnisi unicam fuisse Clodii legem, sci-

licet suffragii libertinis ampliandi, aqua tibi haerebit interpretanti ea verba *servos nostros libertos suos fecisset*. Libertini enim Romani servi dici nequibant, nec liberti Clodiani. Paria dic de alio orationis loco n°. 32. *incidebantur iam domi leges, quae nos nostris servis addicerent*. Ratum itaque sit duas leges excogitatas fuisse a Clodio, alteram de libertinis, alteram de servis; hanc vero potissimum insectatum fuisse Ciceronem, maxime n[is]. 32. 33. Iam quum Scholiasta Ambrosianus *nefariam* hanc *libertatem* enarrans, quam Clodicis servis daturus erat, dicat huius legis mentionem fieri in oratione pro Milone, atque commemorari iis quidem verbis *Atque per . . . . reprehensio est*; tum iure videor colligere posse, quid tandem in Miloniana supplere debeam. Restat, ut iis verbis hanc legis recitationem convestiam, quae proxime accedant ad stilum Ciceronis. Mihi vero ista probabilia videntur: „Atque per*multas leges praeter ius et aequitatem* ex„*cogitatas quum recitare possem, unam tantum ex*„*ponam, iudices, ceterarum omen atque firmamen*„*tum. Ille enim maiora suis legibus suffragia, atque* „*latrociniis arma comparaturus constituerat, ut ser*„*vis, qui privata dominorum voluntate manumissi in* „*libertate morabantur, iusta libertas, ac civitas Ro*„*mana cum suffragio in rusticis tribubus ipso iure* „*daretur*. An huius ille legis, quam Clodius a se in„ventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo „Milone, ne dicam consule? De nostrûm enim omnium: „— non audeo totum dicere. Videte quid ea viti lex „habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio „est. Et adspexit me illis quidem oculis etc." Neque plura, neque pauciora supplenda mihi videbantur, ut in utraque lacuna par esset desideratorum versuum numerus. Ad hunc modum video haud frustra efflagitatum esse Clodii librarium a Cicerone. Hic enim recitavit, ne multus esset, unam legem, quae ceterarum erat omen atque specimen luculentissimum. Tum mo-

nuit indices, hanc legem numquam propositurum fuisse Clodium, vivo Milone; nam tantum vitii habebat, ut, vel mortuo Clodio, non sine periculo reprehendi posset. Sextus, audita legis ratione, incensus ira fingitur minaces oculos in oratorem convertisse; quod nihil est, nisi oratoria transitio ad ea, quae sequuntur de Sexto. Mene ludit amabilis insania, an recta argumentatione lacunam felicissime supplevi? Iudicent docti viri.

Sed quando commemoravi Scholiastem Ambrosianum, cuius nonnulla folia palimpsesta ipse legi novo conatu, nequeo, quin simul laudem accuratam industriam Cl. Editoris, atque egregiam ab ipso navatam operam celebrem. Tamen, quum facile sit inventis addere, mihi liceat qualecumque meum consilium aperire de ratione huiusce commentarii edendi.

Singulorum foliorum imagines minuta et anxia diligentia exhibeantur. Sunt enim in codice lacunae, seu vacua spatia; sunt lineae evanidae; sunt fugientes litterae; haec omnia rectius ipsa folii imagine repraesentantur, quam verbis. Illud quoque commodi inde est, quod omnes lacunae demonstrentur vel iis in locis, in quibus contextus integer videri potest. Sic Vir Cl. praetermisit lectores monere de sequentibus lacunis.

Edit. alter. p. 98.	lin. 9.	post voces *foeditatibus inquinatum*,	est vacuum spatium.
99.	11.	*etiam hoc*	idem.
	12.	*in exitu*	idem.
177.	5.	*essent. Ergo*	idem.
181.	8.	*Nunc autem*	idem.
99.	8.	*nonnaturis putas*	est spatium duorum versuum.
169.	9.	*esse fateantur*	est spatium trium ferme versuum.

Nisi haec vacua spatia fortuita esse dicamus, aliquid certe innuere debent.

Nullum est in codice constans indicium, quo textus secernatur a commentario, ita ut lector incertus quandoque pendeat, atque ipse novam proposuerim dispensationem in Miloniano loco; quare editor suam profiteatur opinionem, sed imaginem folii exhibeat daturus criticis parem iudicandi facultatem.

Omnia codicis errata candide profiteatur editor. Praeterquam quod enim illa quandoque ad germanam lectionem nos manu ducunt, maxime conferunt ad auctoritatem codicis recte aestimandam. Sic erat in codice *significat scio epistulam non ad mediocrem instar voluminis inscriptam;* tacite emendavit Cl[us] Mai p. 177. *significat epistulam non mediocrem ad instar voluminis scriptam;* locus tamen posset criticorum iudicia trahere in varias emendationes.

Tandem haec loca fefellerunt oculos Editoris licet in membranis legendis peritissimi.

Edit. alter. p. 88. lin. 2. *contumeliosam atque asperam* — Codex *contumeliosam simul atque asperam.*

93. 11. *inpudentiam sive* — Cod. *inpudentiam ei sive*

94. 13. *Clodius et easdem* — Cod. *Clodius easdemque*

95. 5. *re pertimescendam* — In codice syllaba *re* punctis est notata, adeoque reiici debet.

12. *de incestus stupris* — Cod. *de incaestis stupris*

120. 3. *tempore* — Cod. *temporibus*

167. 4. *compenlativum* — Codex

compensativum, qui fuit certe operarum error.

9. *compensatio exhibebitur* — Cod. *compensatio implebitur*

178. 5. *nuntiasse Cn.* — Cod. *nuntiasse se Cn.*

179. 10. *decedere urbe* — Cod. *secedere urbe*

181. 14. *lacrimosas excubias deplorat* — Cod. *lacrimosis legmatibus iam perorat*

Haec vero non eo spectant, ut eximiam Editoris operam deteram, aut eum Virum vituperem, cuius ingenium suspicio, amicitiamque colo; sed ut meum qualecumque consilium urbana libertate aperiens, gravissimum tanti critici iudicium vicissim de mea hac editione quasi lacessam.

Posteaquam ornatissimam hanc orationem a lacunis liberavi, illius ex integro edendae consilium mente revolvebam. Nam habebam quinque folia Palimpsesti Taurinensis, quae optimas lectiones suppeditabant; Garatonius in libro non satis pervagato multa adnotaverat scite, emendaverat acute, ut solebat, quibus novus Orationis textus proficere posset; nonnulla quoque subsidia ad expoliendam lectionem mihi offerebant alii bibliothecae Taurinensis libri, sed supremum calculum consilio meo addidit Eques Niebuhr, ad me mittens integram collationem P. Lagomarsinii. Inedita haec variantium sylloge magnam mihi primum spem faciebat optimarum emendationum; fando tamen audiveram de eius praestantia disputatum esse in utramque partem; quae controversia dissolvi nequibat, nisi ederetur aliqua saltem huiusce collationis pars. Vidi, fateor enim, in opere tam longo vix paucas esse varietates bonas; ceteras tamen inutiles conferens cum indole librorum Britanniae, atque Germaniae, dispexi scriptos Tullii

libros, qui in nostris bibliothecis servantur, in duas potissimum, easque diversas familias facile abire. Quae quum mihi haud indigna visa sunt, quae iudicium doctorum virorum cum fructu morentur, tum de singulis iam liceat disputare, atque primum de Lagomarsinii collatione. Hanc in bibliotheca Collegii Romani delitescentem in usum meum exprompsit, quantum ad Milonianam attinet, atque propria manu exscripsit Eques Niebuhr, cuius nescio, utrum ingenium ad eruditionem eximie comparatum plus suspiciam, an suavissimam amicitiam colam. Certe Vir egregius dedit grande patientiae studiique in meos conatus documentum, quum ex universa variantium farragine singulas delegit, singulorumque codicum lectionem exposuit accurate, ceterasque bibliographicas notitias perquisivit, quibus Lagomarsinianum opus illustraretur.

Itaque Hieronymus Lagomarsini, Societatis Iesu sodalis, quum superiore saeculo in Ciceronis operibus id sibi critici negotii dedisset, ut veram ac germanam auctoris scripturam constitueret, gravissimum molestissimumque laborem suscepit conferendi seu veteres editiones, seu codices scriptos, quotquot in bibliothecis Italiae perlustrare potuit. Quod opus propemodum immane Vir impiger nec labore victus, nec assiduitate fractus perfecit felicissime. Nam usus editione Gronovii Lugduno-Batava anni 1692. primum ex uno alterove codice variantes excerpens, eas adnotabat in libello; multi vero ex hisce libellis etiamnunc supersunt. Deinde variorum codicum collationes seorsim in libellis scriptas simul comprehensurus, atque unico veluti obtutu exhibiturus, eas in maioribus voluminibus digesserat. Rem ad duodecim praegrandia volumina adduxerat variantibus referta, et stipata lectionibus. Verum quum hanc recensionem mancam suo iudicio atque imperfectam propter nimiam scribendi festinationem deprehendisset, totum opus ab initio retexendum esse censuit. Rursus itaque codices inspexit, minima

quaeque notavit solertius, atque excerpsit diligentius, ut volumina, quibus alterae in Ciceronem curae commissae sunt, ad triginta ferme excreverint. In unoquoque autem volumine hanc prodendarum varietatum rationem servavit. In eo descripsit integram elucubrationem Ciceronis, puta Orationem pro Milone, singulas textus voces in singulis lineis ponens, atque annumerans, ut vocabulum infra vocabulum collocaret; tum unum quodque vocabulum exciperent varietates lectionis; has demum consequerentur numerales notae, quibus varii codices designabantur. Inter variantes non tantum probabiles adnotat, verum etiam absurdas quasque, deinde apices, puncta, commata librorum, ad haec diphthongos, litteras adspiratas, librariorum interductus, ac variam orthographiam; si quidem eo spectabat, ut germanam codicum conditionem cum fide summa repraesentaret, viamque muniret ad veterem orthographiae rationem constituendam. Maioribus voluminibus ad hunc modum descriptis, iterum ea castigata sunt ad fidem libellorum; tantaque diligentia usus est Lagomarsinius, ut quandoque de una alterave variante dubitans adnotaverit in chartulis, eam iterum cum codice contendendam esse. Huius castigationis testes dabo emendationes, quas ostentant ipsa volumina, nec non epigraphas, quae id ipsum apertissime declarant.

Sed, quod fit in rebus humanis, quae vel temporum iniuriis patent, vel aliorum invidiae, malo fato perierunt duo maiora volumina, quorum alterum tenebat variantes ad Orat. pro Caelio, de Provinc. Consul., pro Balbo, in Pisonem; alterum exhibebat indicem universorum codicum collatorum, atque numerum arabicum, quo quisque codex in opere ipso distinguebatur. Quare ignoraretur potestas numerorum, nisi hoc quadamtenus erueretur ex libellis. Saltem, quod ad Milonianam attinet, Cl. Niebuhr ex libellis feliciter

collegit notitiam singulorum codicum seu manu, seu typis descriptorum, quam referre iuvat.

1. Codex Fesulanus bibl. S. Bartholomaei Fesulis, in Laurentianam illatus: apud Bandinium n°. 187. inter Fesulanos. Membranaceus saec. XV. Continet omnes orationes.
2. Codex S. Marci n. 102. membranaceus. Continet plerasque orationes, exceptis Verrinis, Philippicis, et orationibus a Poggio inventis.
3. Codex S. Marci n. 103. chartaceus. Continet orationes omnes, praeter Verrinas et Philippicas.
4. Codex S. Marci n. 104. Continet orationes pro L. Manilia, pro Sulla, pro Archia, post red. ad Q., post red. in Senatu, de har. responsis, pro Plancio, in Vatinium, de prov. consul., pro Coelio, pro Balbo, pro Milone, pro Marcello.
6. Codex S. Marci n. 106. chartaceus. Continet orationes pro Quintio, pro Q. Roscio, Divinat. in Caecilium, Act. I. in Verrem, Actionis II. lib. 1. et 2. pro l. Manilia, pro Cluentio, pro Rabirio perd. reo, Catilinarias, pro Flacco, pro Sulla, pro Archia, post red. ad Q., post redit. in Senatu, pro domo, de har. responsis, pro Plancio, pro Sextio, in Vatinium, pro Coelio, de prov. consularibus, pro Balbo, pro Milone, pro Deiotaro.
7. Codex Laurentianus pl. XLVIII. 7. chartaceus. De hoc et sequentibus confer Bandinium.
8. Id. eodem pl. 8. membranaceus.
9. Id. eodem pl. 9. membranaceus.
10. Id. eodem pl. 10. membranaceus.
11. Id. eodem pl. 11. membranaceus.
13. Id. eodem pl. 13. membranaceus.
18. Id. eodem pl. 18. partim membr. partim chartaceus. Varias lectiones, seu emendationes ad Milonianam a recentiore manu additas esse indicat Bandinius.

20. Id. eodem pl. 20. membranaceus.
21. Id. eodem pl. 21. membranaceus.
23. Id. eodem pl. 23. membranaceus.
24. Id. eodem pl. 24. membranaceus.
25. Id. eodem pl. 25. membranaceus. Hunc Bandinius ad saec. XIII. refert, quod certe ita se habere nequit; habet enim aliquot ex Poggianis, ipsamque orationem pro Caecina, in quibus nihil fere a reliquis libris discrepat, quos e Poggiani apographi fonte deductos esse constat.
43. Codex S. Crucis membran. apud Bandinium in bibl. Leopoldina XXIII. 3.
54. Codex Riccardianus n. XXXIV. chartaceus. Continet orat. pro Milone et pro Marcello.
65. Codex Laurentianus pl. LII. 1. chartaceus. Vide Bandinium.
67. Editio Beroaldi.
68. Editio, quae vix differt a n°. 88. Sane alterutra est Veneta anni 1488, quae quum verbum de verbo expressa sit ad fidem editionis Waldarferi, coniicere licet hanc designari n°. 68., Venetam vero n°. 88.
69. Editio Iuntina recusa [1]) ab Angelio.
70. Editio Aldi senioris.
71. Editio Naugerii.
72. Editio Roberti Stephani anni 1539.
73. Editio prima Lambini. Alteram enim non contulit Lagomarsinius [2]).
75. Editio Veneta anni 1480.
81. Editio Manutii.
85. Editio, fortasse Camerarii.

---

1) Corrige *curata.*

2) Textus enim repetitionum Lambinianarum, etiam pulcherrimae illius Sanctandreanae 1584. omni destitutus est auctoritate: sed varietas lectionis et coniecturae Lamb. in prima ed. 1566. non inveniendae, pretium iis constituunt.

86. Codex Mss. quantum quidem colligitur ex emendationibus. Collatus est ad orationes pro Quintio, pro S. Roscio, pro L. Manilia, pro Cluentio, pro Murena, post red. ad Q., post red. in Senatu, pro Plancio, pro Coelio, de prov. cons. pro Milone.
88. Vide supra ad n. 68.
92. Editio Gruteri.
95. Editio Hervagii.
97. Fortasse est liber scriptus. Tenebat unam orationem pro Milone. Sane bibliotheca Laurentiana possidet rarissimum librum saeculo XV. editum, qui unam tenet orationem pro Milone.

Atque hos libros contulit Lagomarsinius ad Orationem pro Milone. Quam vero prodendarum varietatum rationem excogitasset Lagomarsinius, vide, sis, eius programma recusum in commentario *Iosephi Mariani Parthenii de vita et studiis Lagomarsini cum enarrationibus Fr. Carrarae, et adnot. Georgii. Venetiis* 1801. Ex quo libro multa derivavi, quae componerem cum his, quae de opere Lagomarsiniano ad me dederat Cl^{us}. Niebuhr.

Iam quo in pretio haec collatio habenda sit, si licet iudicium interponere meum, libere, nec invidiose dicam. Quaestio vero duas habet partes; vel enim consilium Lagomarsinii expendimus, vel auctoritatem voluminum.

Quod ad consilium attinet conferendi tot tantosque codices, atque adnotandi singulas lectiones vel absurdissimas, vereor, ne illud in doctorum hominum reprehensionem incurrat. Plerique enim codices erant recentes, ab uno eodemque fonte deducti, mendosi, atque novitiam orthographiam a grammaticis sequioris aevi excogitatam prae se ferebant; quare numerus codicum multiplicabatur, quin eorum multiplicaretur auctoritas. Praeterea, quorsum tantum diligentiae in locis Tullianis claris, atque perspicuis? Probe video

posse ex erroribus librariorum expiscari [1]) emendationem complorati contextus; at ex immani variantum farragine, quae tenebris offundit clarissimum locum, quid tandem colligas, nisi mendosos esse, atque nullius auctoritatis illos libros, qui in contextu luculentissimo turpiter errant? Debuisset Lagomarsinius ea sola ex codicibus excerpere, quae obscuritatem aliquam, vel ambiguitatem, vel quodvis aliud vitium tollerent a vulgata lectione; codices vero, quos perlustraverat, ita aestimare, ut bonos tantum, adeoque paucos, in collationem admitteret, ceteros uti inutiles repudiaret. Nam si rem ad severum calculum adducas, inter codices, qui cum fructu pervolvi poterant, hunc tantum reperies 43., tum emendationes a secunda manu additas codicibus 6. 13. 18. Reliqui libri eumdem textum exhibent variis tantum mendis deturpatum, nec nisi in selectis locis conferri debuerant. Et sane, quum Lagomarsinius profiteretur in programmate suo, editionem Gronovii, suo quidem iudicio, omnium esse emendatissimam, saepe tamen videret germanam Gronovii lectionem vel ab omnibus omnino suis libris exulare, vel in solis 43. 6. 13. 18. delitescere; satis ipsi hoc esse debebat, ut reliquos libros parvi faceret. Sed Lagomarsinius effroeni in Tullium amore ferebatur, neque Parthenio amico suo, neque ceteris Sociis haec et alia consultiora suadentibus, aures praebuit; quare vel in sua Societate nactus est reprehensores consilii sui, inprimisque Franciscum Retzium Praepositum Generalem; Lege Parthenium n°. XC. et Carraram nota 28. Nihilne ergo bonae frugis deligi potest ex opere Lagomarsiniano? Haud multum in Miloniana; maxima enim librorum pars, qui tamen et alias bene multas orationes continent, erat non bona. Superest, ut in ceteris Tullii operibus Lagomarsinius maiore fe-

1) Sic Peyron.

licitate usus habuerit alios eosque purgatos codices; hi tamen nonnisi pauci esse possunt, uti constabit ex iis, quae de codicibus Tullianis Italicae familiae infra disputaturus sum.

Quod vero ad auctoritatem attinet voluminum Lagomarsinianorum, scio nonnullos de eorum fama studiose detrahere, atque librariorum incuriam ita exaggerare, ut ne uni quidem litterae aut numero fidendum esse clament; sed eiusmodi obtrectatores, quod me Niebuhrius monuit, aut opus ipsum neque oculis usurparunt, aut ideo hunc fontem Tullianae emendationis maledictis incessunt, ut sibi suisque integrum eum intactumque servent. Fuerint igitur librarii errori obnoxii, erraverint in numeris describendis, quemadmodum ipse animadverti numerum 75. non semper accurate respondere editioni Venetae anni 1480; quid tum? Aliquidne detrimenti capit varians ipsa lectio? aut auctoritatis aliquid detrahitur codici? Quamvis numerus 75 aut incertus sit, aut falsus, vidi tamen illam editionem haud fuisse praestantem; fac, erratum quandoque fuisse in numero 43. exarando, hic tamen scriptus liber reliquos antecedit lectione. Neque enim sunt numerandi, sed aestimandi codices. Quare licet aliqua corruptela in collectionem Lagomarsinianam obrepserit, ea tanta esse nequit, ut universam infecerit, atque veram singulorum librorum indolem interverterit.

Mihi vero Lagomarsinianum opus patefecit Tulliani textus historiam, atque varias codicum familias; quod fusius explicare liceat.

Cum omnes manu typisve descripti libri, qui in nostris bibliothecis servantur, laborent duabus lacunis a me in Miloniana detectis, iam facile quisque colliget, hodiernos codices ab uno antiquissimo libro manasse, qui in eo orationis folio detrimentum temporis fuerat expertus. Sed librum non tantum hoc in folio fuisse laciniosum, atque mutilum, verum etiam habuisse pas-

sim detritas membranas, voces hiulcas atque evanidas, mihi maxime suadent loca Orationis *ut fit religione aliqua* §. 9. *iudiciumne timui* §. 14. *nefarie fecisti* §. 12. [Codex 43. habet *nec'ie*]. Nam hisce in locis sunt codices, qui vacua spatia monstrant interposita, atque adeo declarant, in primaevo libro vix superfuisse litterarum evanidarum lineamenta; sunt alii, qui lacunam impleant lectionibus adeo dissimilibus, et secum pugnantibus, ut appareat illas non amanuensium oscitantiae et vocum affinitati aut raritati acceptas esse referendas, sed vario grammaticorum ingenio, qui pro se quisque, textum redintegrare satagebant; mitto codices, qui spatiolum vacuum, lacunae indicem, penitus praetermiserunt. Interea Erfurtensis tantum et Bavaricus codex veram lectionem servaverunt §. 9. et 14. Iidem saepe codices, nec non Coloniensis, Saxonicus, et Werdensis eas prae se ferunt optimas lectiones, quae frustra in Lagomarsinianis omnibus libris requiruntur. Quibus in antecessum praestitutis, iam videor recte posse hanc coniecturam proponere. Fac duos amanuenses ad eumdem illum librum exscribendum accessisse, quem nuper laciniosum atque vetustate detritum esse demonstrabam. Horum alter doctrina praestiterit, atque acuta oculorum acie; alter latinis literis vix tinctus praepropere munere suo fuerit defunctus. Exemplar primi amanuensis optimam lectionem prae se feret, multa servabit vestigia veteris orthographiae, paucis etiam scatebit lacunis. In exemplari alterius librarii passim offendes lacunas, atque lectiones haud probabiles, quas vel festina indiligentia peperit, vel praepostera interpretatio evanidae vocis. Progressu temporis antiquissimus ille archetypus maiora temporis detrimenta passus in lacinias abiit, atque disperiit, quin tanti codicis casum aut praecaverent, aut dolerent librarii, nam habebant recentissima illa duo exemplaria. Subinde ad horum fidem alii atque alii codices descripti sunt, adeoque alia atque alia menda pedetentim accesserunt

pro varia amanuensium diligentia et doctrina. En duo genera codicum Tullianorum. Ad primam eamque nobiliorem familiam pertinent codex Coloniensis, Bavaricus, Erfurtensis, qui caeteris praestant; proximi his accedunt codex Saxonicus, Werdensis, Pithoeanus; eandem quoque originem, sed multis librariorum erratis deturpatam, prae se ferunt pauci ex Britannicis, atque 43. Lagomarsinianus, nec non emendationes a secunda manu additae codicibus 6. 13. 18. Ad alteram deteriorem familiam pertinent ceteri codices Italici a Lagomarsinio collati, nec non Taurinenses, atque Ambrosiani bene multi, tandem editiones omnes saeculo XV. in Italia impressae. Itaque Italia plures numerat codices, paucos optimos; contra Germania servat praestantes libros. Enimvero plerique Italici libri Tullianarum orationum saeculo XIV et XV descripti sunt, quod de Laurentiana, aliisque bibliothecis constat ex editis catalogis, atque de Ambrosiana iudicium ferri potest ex diligentissimo elencho a Cl° Mai instituto [ad calcem alterius editionis Fragmentorum Ciceronis]. Universa autem haec librorum multitudo originem suam refert duobus vel tribus codicibus antiquioribus; rari enim erant Dantis aetate Tulliani libri, neque omnes in hominum manibus versabantur; tum hos codices nostrorum parentes ad deteriorem familiam pertinuisse luculenter evincit collectio Lagomarsiniana. Simul ac vero eruditi affluebant novitiis exemplaribus lectu et comparatu facilioribus, iisdemque cum omni ornamento pictis, neglectui habuerunt vetustiores codices, quorum adeo pars magna periit. Iam si a censu nostrorum codicum eximas universos hosce libros saeculi XIV et XV, pauci remanent, quos optimos credere iuvat, atque diligenter collatos vellem; sic Codex Ambrosianus C. 29. part. inf., atque alii non multi. Contra quum in Germania literae serius demum fuerint excitatae post inventam typographiam, desideratur turba recentiorum librorum, atque vetustiora exemplaria diligen-

tius servata sunt; forte etiam fortuna contigit, ut priscis temporibus unum et alterum exemplar bonae familiae illuc fuerit delatum. Sed, licet nostrae famae plus obsit, quam prosit Tullianorum codicum numerus; Italia tamen gloriatur se habere codicem antiquissimum Basilicae Vaticanae, rescriptas schedas.... Quamquam quorsum haec disputo? Classica litteratura ad Europam universam spectat, nihil ergo refert, quae provincia meliores codices possideat, dummodo omnium provinciarum opes simul collectae germanum tanti Oratoris textum restituant. Poggius ab Helvetia et Gallia novas ad eruditos saeculi XV adtulit orationes; Lambinus et Gronovius multa emendarunt ad fidem codicum Germanorum; Ernestius de textus puritate bene est meritus; Garatonius tempestate suis conatibus iniquissima coniecit meliora, habuitque ex Bavarico; nuperrime ex Italiae palimpsestis prodierunt fragmenta inedita, simulque editarum orationum lectiones eximiae. Quamvis codicum familia non una sit, quod explicasse videor; tamen restitutores operum Tullii ad unam pertinere debent eandemque criticam familiam. Controversias de municipali gloriola delet dies, optimae criticae iudicia confirmat.

Quae hucusque de duplici codicum familia, de auctoritate voluminum Lagomarsinii, et de praestantia totius collectionis disputavi, maxime mihi probabilia videbantur; atque adeo inclinabat animus, ut maximam collationis Lagomarsinianae partem omitterem. Sed quum animo succurreret varia esse hominum iudicia, atque aequam de inedito opere iudicandi facultatem singulis esse tribuendam, fortasse etiam nova consectaria deduci posse ad historiam Tulliani textus illustrandam librorumque indolem aestimandam; aliud consilium cepi. Primis quidem numeris Orationis integram fere exhibui collectionem; subinde vero post numerum nonum multa praetermisi; ipse Niebuhrius missas iam

fecerat plerasque vanissimas varietates orthographiae, interpunctionis, et quidquid est similium nugarum.

Lagomarsinianae *collationi non alia addidi* subsidia, duos Taurinenses codices saeculi XI. deterioris familiae, vide eos in Catalogo impresso n. DCVII. et MLXXI; primum distinxi nota *Taurin.* 1. alterum *Taurin.* 2. Contuli etiam editionem principem Romanam; tum alteram, in folio, sine anno et loco, sed Venetiis typis Ienson vulgatam saeculo XV, quam unico nomine *Ignotam* appellavi.

Haec habui, quae te monerem, benigne lector· superest, ut omnia aequi bonique facias.

M. TULLII CICERONIS

O R A T I O

PRO

T. ANNIO MILONE.

ORATIO

PRO

T. ANNIO MILONE.

SUMMARIUM.

P. Clodius Pulcher post tribunatum plebis A. V. 698. aedilitatem autem A. 697. gestam A. V. 700. praeturam petere constituerat. Quum autem comitia consularia et praetoria anno superiore i. e. 699. ita tracta videret, ut non multos menses praeturam gerere posset, quippe quum etiam consules anno 700. creati Cn. Domitius Calvinus, M. Valerius Messala septimo demum h. a. mense magistratum post plura interregna, adirent, distulit petitionem praeturae, eamque in A. 701. transtulit. In eundem annum consulatum petebant T. Annius Milo, (qui dudum graves cum Clodio inimicitias gesserat, ita ut alter alteri saepe mortem minatus esset) P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio.

A. d. XIII. Kalendas Februarias, quum Milo Lanuvium, ubi dictator erat, proficisceretur ad flaminem ibi prodendum, accidit ut Clodius Aricia rediens in via Appia ei occurreret. Ibi pugna inter utriusque servos commissa compluribus vel occisis vel vulneratis, tandem ipse Clodius occiditur. Corpus eius statim Romam delatum, ac primum in atrio domus eius expositum, deinde in forum delatum est; unde duce Sex. Clodio a plebe in curiam translatum est, ubi illud collectis subselliis, mensis, aliaque eius modi supellectile cremaverunt, quo igne et curia et Porcia basilica ei iuncta incensa conflagravit. Qua re magna invidia Clodianis contracta, Milo, qui interim secesserat, in urbem

rediit, et in petendo consulatu perseveravit. Pompeius deinde ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Mart. consul creatus est, quem consulatum primis mensibus solus gessit, deinde Q. Metellum Scipionem, cuius filiam Corneliam uxorem duxerat, in quinque ultimos menses collegam sibi adiunxit. Consulatum igitur V. Kal. Mart. mense intercalario aggressus statim leges tulit, alteram de vi, in qua simul ut de caede in via Appia, de incendio curiae, et de domo M. Lepidi interregis oppugnata extra ordinem quaereretur, sancitum est; alteram de ambitu, qua gravior poena et breviora iudicia constituta sunt. In lege de vi novam etiam iudicii habendi rationem praescripserat, ut primo quaesitor non esset praetor, sed suffragiis populi e consularibus electus; deinde tribus diebus testes audirentur; deinde uno eodemque die ab accusatore et reo peroraretur. Itaque creatus est quaesitor Cn. Domitius Ahenobarbus. Is quum Pompeius trecentos ex omnibus ordinibus iudices proposuisset, LXXXI ex iis sortitus est. Ex his quum et accusator et reus quinos ex singulis ordinibus reiecissent, relicti sunt LI, nempe XVIII senatores, XVII equites, XVI tribuni aerarii. Itaque pridie testibus auditis a. d. VI Id. Apriles iudicium habitum est, clausis tota urbe tabernis, praesidiis in foro et circum omnes fori aditus a Pompeio consule dispositis. Accusarunt Milonem Appius maior C. Clodii, Publii fratris, filius, M. Antonius, P. Valerius Nepos. Defendit reum Cicero, sed partim acclamatione Clodianorum, partim ipso militum conspectu turbatus, non ea, qua solebat, constantia dixit. Attamen illa quoque oratio, a notariis excepta, Asconii aetate superstes fuit. Eius etiam Quintilianus IV. 4, 17. mentionem facit. Hanc vero, quam habemus, pro Milone orationem postea scripsit; eamque ad Milonem, qui exsul Massiliam concesserat, misit, qui ut narrat Dio Cassius lib. XL. ei rescripsit bene secum actum esse, quod Cicero non hanc in iudicio habuisset. Nunquam enim futurum fuisse, ut tantos tamque bonos mullos Massiliae comederet, si hoc modo pro se dictum esset.

Exordium huius orationis capitur ab insolita iudicii forma, quod Pompeius forum praesidiis militum circumdederat. Ea quamquam oratorem terrere possit, magnum tamen esse solatium, quod Pompeius pro sua iustitia et sapientia illos centuriones et cohortes non

periculi sed praesidii causa collocaverit, qui defensioni suae non auxilium modo, verum etiam silentium polliceantur. Reliquam civium multitudinem totam causae suae favere. Unum genus infestum esse eorum quos P. Clodii furor rapinis et incendiis paverit. c. 1. Itaque iudices cohortatur, ut timorem, si quem habeant, deponant, ostenditque se in Milonis defensione non eius tribunatu, et rebus pro salute rei publicae gestis abusurum, sed potius id effecturum, ut oculis videant insidias Miloni a Clodio factas, ideoque eum iure occisum esse. c. 2.

Sequitur refutatio eorum quae adversarii dixerant.

Primo negaverant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. Id Cicero primum exemplis eorum, qui absoluti sint post iustam hominis caedem, deinde iure naturali, denique ipsa lege XII. tabularum refutat. c. 3. 4.

Secundo loco dixerant, caedem in qua P. Clodius occisus sit, senatum iudicasse contra rem publicam esse factam. In quo ostenditur senatum illam caedem non sententiis suis solum sed etiam studiis comprobasse; nec novam de ea quaestionem instituisse, sed decrevisse, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem quaereretur. Ac si incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra rem publicam factam decreverit, hoc eo factum esse, quod nulla vis unquam in libera civitate suscepta inter cives non sit contra rem publicam. c. 5.

Denique dixerant adversarii Pompeium rogatione sua et de re et de causa iudicavisse, quod tulerit de caede, quae in via Appia facta esset, in qua P. Clodius occisus erat. Cui Cicero sic respondet, ut ostendat, Pompeium vidisse, etiam in confessione facti iuris tamen defensionem suscipi posse. Fuisse olim nobilissimos aliquot viros necatos, de quibus quaestio extra ordinem lata non sit. Neque vero ideo mortem P. Clodii atrociorem esse, quod is in via Appia, hoc est in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Ab ipso enim M. Papirium in eadem via occisum esse; eiusdemque Clodii servum in templo Castoris comprehensum esse, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarit. Ne de hoc quidem facinore rogationem latam, aut quaestionem decretam esse. Itaque Pompeium non facti, sed iuris disceptationem esse voluisse; de-

lectos esse iudices ex florentissimis ordinibus viros intimos et integerrimos, in L. Domitio autem, quem quaestioni praeesse voluerit, nihil aliud spectasse, nisi quaesitoris iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Reliquum igitur esse, ut iudices nihil aliud quaerere debeant, nisi uter utri insidias fecerit. c. 6—8.

Sequitur igitur narratio rei gestae, prudenter sic instituta, ut appareat, Clodium insidias fecisse Miloni, eiusque servos, quum Milo ante fundum eius ei occurrisset, in hunc impetum fecisse, atque ita Clodium a servis Milonis, qui eum occisum esse ex ipso Clodio audissent, neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, interfectum esse. c. 9—11.

Tum accedit orator ad confirmationem, in qua primum demonstratur Clodium, quia Miloni insidias fecerit, caesum esse.

Hic primum ostendit Clodium magnis emolumentis ad interficiendum Milonem ductum esse, Miloni Clodii mortem non modo nihil profuisse, sed etiam obfuisse. Deinde odium Clodii erga Milonem maius, quam huius in illum fuisse. c. 12. 13. Tum demonstratur, Milonis innocentiam eius consuetudine et natura defendi, Clodii culpam his iisdem rebus coargui. Etenim Clodii consuetudinem perpetuam fuisse in vi inferenda, Milonis tantum in repellenda. Praeterea ex ipsa causa profectionis intelligi non Clodio a Milone, sed Miloni a Clodio insidias esse paratas. c. 14—19. Quod confirmatur primum loco insidiarum, c. 20. deinde iter Clodii, ut expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparatur, ut illum multo ad caedem paratiorem fuisse appareat. c. 21. Neque vero mirum esse Clodium sic paratum, tamen ab imparatis servis Milonis occisum esse. Neque vero Milonem ideo in suspicionem venire, quod illos servos manumiserit. Quaestionem vero de servis Clodii in Milonem habitam nihil probare. c. 22. Denique ipsum reditum Milonis eiusmodi fuisse ostenditur, ut ex eo eluceat eum pura mente atque integra, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum Romam revertisse. c. 23. Multa etiam postea in Milonem congesta esse, quae ille innocentiae conscientia fretus plane contempserit ac pro nihilo putarit. c. 24—26.

Crimine igitur ipso caedis a Milone Clodio illatae his argumentis diluto, Cicero ostendit si Milo Clodium

occidisset, eum propterea praemio potius quam poena afficiendum fuisse. Itaque Milo sic loquens inducitur, ut immania Clodii flagitia et facinora enumeret. c. 27. ideoque magnam populi Romani ex Clodii caede laetitiam esse consecutam demonstratur; c. 28. eamque caedem in beneficii loco ponendam esse partim Graecorum exemplo, qui saepe tyrannos necaverint, eorumque interfectoribus magnos honores tribuerint, c. 29. 30. partim deorum immortalium nutu et voluntate confirmatur, quibus huius beneficii gratia potissimum debeatur. c. 31—33.

In peroratione iudices implorantur ut, misericordiam tribuant fortissimo viro, quam propter innocentiam et dignitatem nec ipse imploret, nec a defensore suo implorari velit. c. 34—38.

Ceterum cum hac oratione et Asconii argumentum, et Dionis Cassii lib. XL. narratio comparanda est, ex quibus hoc certe intelligitur, etiamsi Clodii caedes et iustissima, et rei publicae utilissima fuerit, tamen ab ipso facinore Milonem non tam alienum fuisse, quam eum Cicero in defensione callidissime instituta videri voluerit.

ORATIO
PRO
T. ANNIO MILONE.

I. Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, quum T. Annius [1]) ipse magis de rei publicae salute, quam de sua, perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse, tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt, [2]) veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati-

1) *additur* Milo. 2) inciderint.

quum T. Annius ipse] Sic recte etiam Lagomarsini Codd. complures. Errores Garatonio memoratos cum aliis cumulatos referunt Codd. quoque Lag. et Peyr.

inciderunt] Ita 43. 97. pr. m. 92. Lag. — Incidere poterant in coelum quoque, et quo non? idque significaret coniunctivus; revera autem non inciderant nisi in iudices, Pompeium, armatos. Eadem fere obtinet ratio Cap. 2. *qui — neglexit*, ubi Iuntina cum aliis pluribus *neglexerint*.

requirunt] Novis testimoniis confirmatum est. Vulgati vero glossematis *desiderant* originem egregie demonstrat 23. Lag. exhibens: *requirunt, desiderant.*

frequentia stipati sumus]

sumus; non [1]) illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen aliquid, [2]) ut in foro, et in iudicio, quamquam praesidiis salutaribus et necessariis septi sumus, [3]) tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quae si opposita Miloni pu-

1) sumus. Nam 2) nobis a. t. horroris aliquid; 3) *omittitur* sumus.

Weiskius de coni. *frequentia nos stipati sumus.* „Nam ad solum, inquit, oratorem pertinet *stipati sumus*, et oratori opponitur *consessus vester.*" At quomodo in iudicio *frequentia* oratorem stipans a *corona*, iudicum consessum cingente, discriminari possit, equidem minime intelligo. Imo pron. *nos* consulto omisso, orator in hac clausulae parte cum iudicibus sese consociavit.

non illa praesidia — non afferunt tamen aliquid, ut — ne non timere quidem sine aliquo timore possimus] Sic, quae in loco difficillimo vel controversa vel corrupta fuerant, Codicum, Garatonii et Peyronii auxilio usi, tandem constituimus. Iam videamus de singulis. Praestantiam lectionis *non* (pro *nam*, initio sententiae) in Bavarico et Lagomars. 25. pr. m. et 43. exstantis, unus agnovit Peyronius: ita enim accuratius, quam si cum Garatonio *sic* praeferas, pro solito Tullii more tria clausulae membra, singula a part. *non* incipientia, sese excipiunt: duplicemque istam negationem *non illa non afferunt* corruptioni, ubicunque fieri poterat, inprimis obnoxiam, infra quoque aliquoties recurrere videbis. *Oratori*, *horroris*, („quod iusto gravius est." Weisk. et magnopere displicuit etiam Huldrico) *terroris* denique manifesta sunt glossemata; eoque fidentius etiam eieci *oratori*, quod inter illa quidem praestat, tum quod mox, sed loco longe aptiore, iteratur, ubi si paullo ante eodem vocabulo usus esset orator, eius vim admodum debilitasset, tum quod non sine caussa Peyronius haec observavit: „video mendosum esse *oratori — ut possimus.*" Sed perperam idem, quo gratificaretur inepto supplemento, de coniectura dedit *possim*, quum Taurin. 1. exhibeat *possum. Sumus* porro cur cum Schützio deleatur Ernestii iudicium secuto, nullam prorsus video caussam. *Simus* solita varietate tres Codd. Lagom.; sed vide nos ad Plancian. p. 14. Sic frequentissime in Philippicis; et ubi non? *quamquam* habet indicativum. Fieri potest, ut in duplici illo *tamen* aliquis

tarem: cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse oratori locum [1]). Sed me recreat et reficit Cn. Pompeii, sapientissimi et iustissimi viri, consilium: qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed praesidium denuntiant, neque solum, ut quieto [2]), sed etiam ut magno animo simus, hortantur; neque auxilium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur. Reliqua vero multitudo, quae quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes, unde aliqua pars fori adspici potest, et huius exitum iudicii exspectantes videtis, non quum [3]) virtuti Milonis fa-

1) oratori locum esse ∾ *orationi*. 2) ∾ *aequo.* 3) cum.

offendat; neutrum tamen delendum arbitror.

oratori] *orationi* 6. pr. m. 20. 23. 25. var. Lag. quae lectio habet, quo se commendet.

putaret] etiamnunc; *putarit* semel antea; quo discrimine probe observato, concidit haec Heumanni suspicio.

quieto] *aequo.* Haud scio, an debeatur Italo alicui v. c. Naugerio, maiorem quamdam elegantiam inutiliter captanti; etsi *quieto* illius glossema videri possit.

intuentes] *cernitis*, quod alii addunt, alii, iique plures omittunt, ab eo est, qui loci constructione parum perspecta ex v. *videtis*, id variaturus aliquantum, vel etiam explicationis causa, huc intrusit. Quod quum factum esset, alii rursus eiecerunt e loco suo sincerum v. *videtis* v. c. Iuntina. Consule varietat. Peyr. Sed res a Garatonio iam est confecta.

quum virtuti] Plures apud Peyron. *tum;* sed illud praefero, quum sensus sit: *ante omnia quidem favet virtuti Milonis, sed praeterea quoque — decer*

vet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat.

II. Unum genus est adversum infestumque nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis. Quorum clamor si qui forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresque maximos pro [1]) vestra salute neglexit. Quam-

1) ∾ *prae.*

tari putat, non vero: *pariter favet virtuti Milonis, pariterque — decertari putat.* Scriptura *quom* s. *quum* particulae temporalis et partitivae minime a recentioribus demum excogitata est — siquidem reperitur v. c. in Tab. Heracl. statim initio: *quom. eum. profiterei. oportebit.* Contra p. 64. Marezoll. *cum. Senatu*, et in aevi Augustei praeclaro monumento, fragmentis scil. laudationis funebris a Fabretto p. 168. et accuratius a Marinio *Iscriz. Albane.* p. 136. editis: *cum gratulatione — quom ex te liberos habere non possem —*. Ceterum Peyron adnotat: „Saepe in Codd. post sec. XIII. consonae C. et T. ob maximam ductuum affinitatem confunduntur.“

II. *pro vestra salute*] *prae vestra* 2. 11. pr. m. 13. var. Lag. — „Minus probatur illud *pro vestra salute.* Cicero, si finem aut consilium voluisset indicare, *ad vestram salutem* dixisset potius, vel alio modo eam enuntiasset sententiam, vixque certum invenias locum, ubi verbo *negligere, contemnere* et similibus praepositio *pro* in eiusmodi sententia iuncta fuerit. Diversi generis est infra §. 6. *rebus omnibus pro salute reipublicae gestis.* Ovid. *Metam.* 3, 545. *pro fontibus ille* (serpens) *lacuque interiit, at vos pro fama vincite vestra.* — Legendum videtur *prae vestra salute*, quod ipsum habet Oxon. χ. 1. Instituitur comparatio. Vestram, inquit, salutem potiorem, magis curae cordique habuit, quam illud genus hominum clamoresque maximos. Cfr. Horat. *Ep.* I. 11. 4. Terent. *Eunuch.* 2, 2. 8. Saepe ita Cicero: *de lege agrar.* 2. 35, 96. *Romam — prae sua Capua — irridebunt atque contemnent.* pro *Rosc. Amer.* 46. 135. *Brut.* 83, 286. de *Finib.*

obrem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si umquam de bonis et fortibus viris; si umquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit; si denique umquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos, ac per[1]) vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur. Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius, quid magis sollici-

1) *abest* per.

4, 26, 73. de *Offic.* 3, 11, 47. In *Verrem* 2, 11. 16. Similiterque leg. videtur ibid. 64, 156. *quum omnium minas atque omnia pericula pro salute sua levia duxerint.* Ita Graevius et Ernestus, sed malim *prae salute sua*, quod, si quid in ea re auctoritate opus, habet Oxon. ψ, optimeque ei loco, sicut ei, de quo agimus, cum reliquis conveniet." Huldricus. In Verrina tamen *pro salute sua* commode explicari potest, pro sua salute decertantes, suae, quam si constantes essent, sperabant, salutis caussa. Sic hoc quoque loco *pro salute*, vestram ut salutem tueretur ac defenderet, longe significantius est, quam *prae vestra salute.*

delectis] Gar. *dilectis.* „Illud mihi orthographiae genus improbatur, quo vocabula diversae significationis confunduntur." Peyron.

duobus] Hoc ut retineatur, flagitant etiam aures meae; nimis enim exile h. l. illud: *Quid enim nobis, iudices, laboriosius* — magisque faciunt pleniora illa ad movendam miserationem. Praeterea, quum praeter senatores, equites quoque ac tribuni aerarii in iudicum numero fuerint, an hi *spe amplissimorum praemiorum ad remp. adducti* recte dicantur, valde equidem dubito. Quod autem Bavaricus omittit *duobus*, vel casui, ut fit, debetur, vel peritus eius librarius, quum corruptelam ali-

tum, magis exercitum dici, aut fingi potest? qui spe amplissimorum praemiorum ad rem publicam adducti, metu crudelissimorum exitiorum [1]) carere non possumus. Equidem ceteras tempestates et procellas, in illis dumtaxat fluctibus concionum, semper putavi Miloni esse subeundas, quod [2]) semper pro bonis contra improbos senserat: in iudicio vero, et in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, numquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Quamquam in hac causa, iudices, T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute rei publicae gestis, ad huius cri-

1) suppliciorum. 2) ∾ *quia.*

quot Mss. apud Peyron *nobis de vobis* vel *nobis de nobis* suo quoque in exemplari reperisset, omittere, quod corrigere nequibat, maluit. Ceterum totum locum distinxi de sententia Huldrici. vulgo interrogandi signa sunt post *laboriosius* et *non possumus.*

exitiorum] Ut 6, et 20. Lag. *praemiorum* facili sane vocabulo, tamen explicationem substituerunt *beneficiorum*, ita *exitiorum*, uti habet etiam Iuntina, a pluribus mutatum est in *suppliciorum*, quod, si quid video, praeter caussam rursus praetulit Peyron: nec minus perverse idem mox dedit *quia semper*, etsi in multis repertum. *dumtaxat* non *duntaxat* scribendum esse docent tabulae honestarum missionum Galbae aliorumque Imperatorum ap. Marinium et Spangenbergium.

sed etiam gloriam] Rectum hoc esse demonstrant exempla Garatonio laudata. Altera autem lectio in Iuntina quoque reperienda *sed ne etiam* nihil aliud est, nisi barbarum glossema, scil. purum putum illud Italorum *neanche*, quo significabant intelligendum hoc esse, ac si scripsisset *sed ne gloriam quidem;* itaque nihil omnino valet ad commendandam istam Garatonii suspicionem, locum hic fortasse habuisse illam nimis incertae auctoritatis formulam *sed ne* pro *sed ne — quidem.*

minis defensionem non abutemur. Nisi [1]) oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas; nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara in rem publicam merita condonetis, nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, iccirco eam virtuti Milonis potius, quam populi Romani felicitati assignetis. Sed si [2]) illius insidiae clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo obtestaborque vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut impune liceat defendere.

1) abutemur, nisi. 2) Sin.

non abutemur. Nisi] Falsam distinctionem esse vulgatam olim, quam ultimus, puto, defendit Schützius, iam dudum perviderat Huldricus. „Quid enim, inquit, si iudices velut oculis cernant insidias Miloni a Clodio factas, an tum ea defensione, quae a meritis Milonis in remp. petitur, insuper opus erit? Praeterea quomodo haec apta sunt sequentibus, quibus quod modo dixerat retractat, aut sine ulla utilitate repetit ea, quae iam posuerat, si quidem illa conditio *nisi oculis* cet. in istis quoque sit intelligenda? Malim igitur verba *nisi oculis* cet. interpunctione maiori seiungere ab antecedentibus, et referre ad sequentia, ut illa *nec deprecaturi sumus* — apodosin constituant.“ — Sic quoque reliqua eodem plane modo quo Garatonius persequitur, conferri praeterea iubens simillimum locum *pro Plancio* 1. ex quo praesidium petere possunt, quibus, ut Garatonio, magis placebit *Sin illius insidiae*: nos cum Peyronio codicum omnium Lag. et Edd. antiquarum consensum sumus secuti, ideo quoque, quia non tam opponuntur ista praecedentibus, *nisi oculis videritis*, sed est vehementior aliquantum eiusdem sententiae repetitio: *sed si*, iterum dicam, *illius insidiae*. Tamen librarios Italos non nimis favisse coniunctioni *Sin* colligitur ex iis, quae Peyronius notat de palimpsesto Taur. p. 307. *Huius* autem ante *criminis* in suspicionem minime est vocandum, quum eo omisso nimis exiles evaderent et numeri et sententia. Ut *propter multa* cum Garat. reciperem, nullam idoneam caussam vidi.

III. Sed, antequam ad eam orationem venio, quae est propria vestrae [1]) quaestionis, videntur ea mihi [2]) esse refutanda, quae et in senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione ab improbis, et paullo ante ab accusatoribus: ut, omni errore [3]) sublato, rem plane, quae venit in iudicium, videre possitis. Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii, fortissimi viri: qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem esse interfectam [4]) fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, quum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac iure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, quum a C. Carbone, tribuno plebis, in concione seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi

1) nostrae. 2) *abest* mihi. 3) terrore. 4) interfectam esse.

III. *vestrae quaestionis*] Accedit huic lectioni 43. Lag. et Peyron, sic quamvis fere invitus edens. *Nostrae* utique videtur ab iis profectum, qui *quaestionem* h. l. non latino, sed italico significatu *la nostra questione* acciperent. *Mihi* confirmatur a 18. sec. m. Lag. Taurin. I. ex var. et facile induci poterat, simul ac scriberetur *nostrae*. In ceteris quoque secutus sum Garatonium. Peyron quidem retinuit *saepe* ante illa *ab improbis:* sed delendum esse arguit tum incerta eius sedes in Mss. et ipsa sententiae conformatio. Etenim requireretur *in concionibus* (non *in concione* una illa hesterna scil.) *saepe iactata sunt*. Quid? quod loco v. *saepe* ipsum illud *hesterna* valde mihi placeret, nisi nimis a Mss. abiret.

seditiose] „Weiskius, „„Vereor"", inquit, „„ne *seditiose* debeatur interpolatori, quia re ipsa consilio auctoris

morte sentiret, respondit, iure caesum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. Itaque hoc, iudices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt; eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam sapientissimae

repugnat." "Consilio scribentis repugnare istud voc. vix recte dixeris. Per se quidem nihil opus fuit in hoc sermone, nisi ut Africani poneretur responsum iudiciumque. Sed quum semel illa scripturus esset, *quum a C. Carbone — interrogaretur*, Ciceronis, qui, omni tempore optimatium fautor, hominum seditiosorum conatus aversatur, minime repugnat consuetudini, eiusmodi addi verbum, quo consilium eius plurimum sibi displicere ostenderet." Huldricus, qui mox scite vindicat lectionem *neque enim posset* contra Ernestum coniicientem *Neque vero*. „Non enim," inquit, „aliquid novum et plane diversum ab antecedentibus his verbis affertur, sed in eodem argumento explicando pergit, de quo dicere coeperat, et exemplis perspicuum facit, quod ante posuerat, qua in re particula *enim* locum suum optime tuetur. Weiskius, qui ipse quoque vulgatam tuetur, minus recte idem esse vult, quod *neque vero*, graviter scil. affirmantis. Aliam sequitur rationem *Goerenz*, scripturam *neque enim* defendens, qui pergere dicit in ea loquutione ironiae umbram, quae toti loco insit *ad Acad.* II. p. 78. cfr. eundem *de Finib.* p. 81. Ironia, si quae loco inest, in eo posita videtur, quod Cicero adversarios vel miratur, vel ridet, qui omnem omnino hominis caedem damnandam putent, quum tamen ita clarissimorum hominum, qui, de patria praeclare merentes, cives sceleratos oppresserunt, facinora egregia una condemnentur. Sed tamen *enim* etiam h. l. explicari potest per sententiam omissam, cuius iam ratio reddatur. Ex illis enim, *nisi vero existimatis*, sententia duci potest, *quod nemo existimabit*, eaque iam argumento confirmatur. Illorum enim *nisi vero* nunquam non ea vis est, ut afferatur sententia, quae adversatur iis, quae ante ponuntur, quaeque eadem, ut prava et perversa reiicitur. cfr. C. 5. (14) 30. (81) 33. (91)."

divina] Alteram lectionem

deae sententia liberatum. Quod si duodecim tabulae nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit [1]), interfici impune voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, quum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

IV. Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis il-

1) ∾ *defenderet.*

humana praefert Arntzenius ad Plinii *Paneg.* 7, 7.

defenderit] v. Peyron ad Orat. *pro Tullio* 50. p. 166. et Dirksen *Uebersicht der bisher. Versuche zur Kritik der XII. Tafel – Fragmente* pag. 564, qui aliter atque antecedentes interpretes hanc legem refert ad Tabulam VIII. fragm. 12. et 13. Quem vir ille doctissimus nondum noverat, accedit nunc insignis locus ex Orat. *pro Tullio* 50. p. 108. Peyron. *Furem, hoc est, praedonem et latronem, luce occidi vetant XII. tabulae, quum intra parietes tuos hostem certissimum teneas* NISI SE TELO DEFENDERIT, *inquit, etiamsi cum telo venerit, nisi utetur telo ac repugnabit, non occides:* QUOD SI REPUGNAVERIT, ENDOPLORATO, *hoc est, conclamato, ut aliqui audiant et conveniant:* unde simul discimus, recte a Cuiacio, et Iac. Gothofredo cum hac lege coniunctum esse Festi ENDOPLORATO. Cfr. Dirksen l. l. p. 576. Variant tum Cdd. Tulliani nostro in loco, tum qui praeterea legem isthanc laudarunt, scriptores inter *defenderit, defenderet, defendat*, variam propter praecedentium verborum apud singulos consecutionem. Sed, ut unum hoc moneam, apud Gellium 2, 18. imperfectum requiritur non tam propter v. *permiserunt*, quam propter posteriora illa, *quum prenderetur*, neque inde de nostro loco quidquam colligi potest. Imo quum certo nunc sciamus, ipsa verba legitima fuisse *nisi se telo defenderit*, (sive antique *defensit*) quumque *voluerunt* non sit aoristus (*vollero* Italice) sed verum tempus perfectum (*hanno voluto*), utique tueor contra Garatonium ac Peyronium *defenderit.*

lata defenditur. Pudicitiam quum eriperet militi tribunus militaris [1]) in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille summus vir [2]), scelere solutum, periculo liberavit. Insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim [3]) haec, iudices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, quum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda. Etsi persapienter, et quodam modo tacite, dat ipsa lex potestatem defendendi; quae non hominem [4]) occidi, sed esse cum

1) *eiectum est* militaris. 2) vir summus. 3) igitur. 4) non modo hominem.

IV. *militaris*] Sine caussa expunxit hoc voc. Schuetzius. Cfr. eodem de facinore l. *de Invent.* 2, 42. ubi vulgo *tribunum militum suum*, Schuetzius item delevit *militum*, optimus vero Codex Turicensis habet *militem*, corrigendum *militarem.*

summus vir] Sic Codd. seu scripti, seu editi, praeter 4. et 86. qui legunt *vir summus* Lagomars. *Summus vir* etiam est in utroque Taurinensi. Peyron. Sic C. 28. *hoc ipso summo viro consule.*

est enim] Novis testimoniis confirmatur ap. Lag. et Peyr.

non hominem occidi] Ita

telo hominis occidendi causa vetat: ut, quum causa, non telum quaereretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, iudices. Non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

V. Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse, contra rem publicam esse factam. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu? quibus assen-

quamvis 6. pr. m. et 20 Lag. nondum tamen accedere ausus est Peyron. Mihi vero indubitatum videtur v. *modo* a mala manu esse intrusum. Nam si recte habet *lex vetat non modo hominem occidi, sed esse cum telo,* erat igitur lex *Hominem ne occidito;* verum ista *communis lex est omnium,* ut ait ipse Tullius *de Invent.* 2, 42. neutiquam Romana, cuiusmodi de lege h. l. sermo unice esse debet. Neque vero commode cum Graevio Moebioque h. l. *non modo* accipitur pro *non modo non;* non enim sequitur, *sed ne — quidem,* eaque sententia ipsa eo rediret, ut lex tacite quidem, sed inepte admodum concedere diceretur hominis occisionem, nulla tamen addita conditione. Sensus vero nostrae lectionis Lambinianae a Codd. satis firmatae hic est: legis latori supervacaneum quidem visum est vetare hominem occidi, tum quia lex naturalis iniustam necem per se ipsa vetat, tum quia, si quis alium occiderit, caussa semper inprimis spectanda est: at longe sapientius vetuit, cum telo esse hominis occidendi caussa.

V. *quoties enim est illa*] „Minus recte Ernestus verba *quoties — senatu* interrogandi forma dicta non vult, in eo, quod Cicero saepe hanc causam egerit in senatu, non esse dicens argumentum. Quod quamquam ita sit, tota tamen orationis forma vix pati videtur, ut illa sine negatione efferantur, et nihil impedit, quo minus in oratione incitata, qualis haec est,

sionibus universi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quatuor, aut[1]) summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant huius ambusti tribuni plebis illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur, quum diceret, senatum, non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. Quae quidem si potentia est appellanda potius, quam aut[2]) propter magna in rem publicam merita mediocris in bonis causis auctoritas, aut propter hos officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia: appelletur ita

1) ad. 2) *abest:* aut.

forma orationis ad similitudinem sequentium accommodetur. Quod autem vult Ernestus, in fine, id est post verbum *occultis*, repetendum fuisse *acta est*, idque temere omissum dicit; iis utique verbis carere non possumus eam orationis formam, quam probat Ernestus, admittentes, quamquam id minime gratum sit et potius dicendum fuerit, *quae* vel *quantae fuerunt assensiones universi ordinis?* Non magis probatur iudicium Ernesti in iis, quae statim sequuntur: *quando enim frequentissimo*, ubi leg. dicit *quando etiam*, quum novum sit argumentum. Sed potius Cicero his verbis idem illud probat, quod modo posuerat, omnem fere Senatum Clodii caedem comprobasse, quum frequentissimo etiam senatu vix quatuor sint inventi cet. Igitur mutatio aliena esse videtur.“ Huldricus.

Quando enim] „Particulam *enim* probo. Reddit enim rationem eorum, quae proxime antecesserunt; et particula caussalis in Cicerone oratore etiam saepius repetitur, quam in philosopho.“ *Bremius.* Cfr. mox C. 6. initio.

aut summum] Ita 18. sec. m. *aut ad summum* 1. 3. 6. sec. m. 7. 9. 24. 86. ceteri *ad summum* Lag.

intermortuae] Hoc solus Garatonius, quem sequitur Moebius, recte videtur intellexisse. Firmatur usus loquendi verusque vocabuli medicis usitati significatus ex Celsi L. 5. c. 26. *multi ex profusione sanguinis* intermorientes *ante ullam curationem vino* reficiendi *sunt.*

aut propter magna] Firmat *aut* Taurin. primus. v. Peyron.

sane, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum. Hanc vero quaestionem, etsi non est iniqua, numquam tamen senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede, vel de vi: nec tantum maerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quaestio constitueretur. Cuius enim de illo incesto stupro, iudicium decernendi senatui [1]) potestas esset erepta; de eius interitu quis potest credere senatum iudicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra rem publicam senatus factam esse decrevit? Quia nulla vis umquam est in libera civitate suscepta inter cives non contra rem publicam. Non enim est illa defensio contra vim umquam optanda: sed nonnumquam est necessaria. Nisi vero aut ille dies, quo [2]) Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica [3]), rem publicam tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipse decrevi, quum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se de-

1) ∾ *eiiciendum:* Senatui. 2) in quo. 3) Saturnini, etiamsi e re publica, oppressa sunt.

senatui potestas] Quum prioris vocis incerta sit sedes in plerisque codicibus, eamque omittant 18. 24. 86. pr. m. Lagomarsiniani unusque Britannicus, mihi e glossemate oratori obtrusa videtur; neque tamen cuiquam auctor ero, ut cum Garatonio eidem substituat *sibi.*

quo Ti. Gracchus — rempublicam] Nihil omnino proficimus e copiis Lagomars. et Peyronian. quocirca cum Peyronio Garatonium ego quoque secutus sum.

in Appia via] H. l. etsi a Codd. aliquot ap. Peyron. firmatum v. *via* incertam tamen ha-

fendisset, contra rem publicam fecisse; sed, quum inesset in re vis et insidiae, crimen iudicio reservavi, rem notavi. Quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quaestionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem, quaereretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo. Nihil enim necesse est, omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est.

VI. At enim Cn. Pompeius rogatione sua et de re et de causa iudicavit. Tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus esset [1]). Quid ergo tulit? Nempe ut quaereretur.

1) fuit. ∾ *est.*

bet sedem, facileque eo caremus, quum legis verba, in quibus deesse non potest, hic non referantur. Sic certe et c. 7. *eiusdem Appiae nomen.* Itaque hic Gar. et Peyr. non sum secutus cfr. Cap. 14.

omnium me flagitia] a compluribus Lagomars. firmatur *me.*

VI. *occisus esset*] „Ita Codd. omnes, praeter 9. qui legit *est* et 54. qui vocabulum omittit Lag. *Esset* uterque Taurin. et Romana. *fuit* ignota. Recepi lectionem *est* magis affinem mendoso *esset.*" Peyron. Cur tandem *mendoso?* Offenduntur scil. adeo cuncti repetito illo *esset*, ut vel barbarum h. l. *fuit* patienter ferant, cui sane *est* ego quoque praeferrem, si ulla necessitas cogeret. At nemo perspexit, adferri hic ipsa legis verba: in legum autem formulis nihil frequentius, quam istud imperfectum coniunctivi vel aliquoties repetitum, cuius usus permulta exempla e lapidibus (praesertim sepulcralibus) afferre possum. Videat mihi aliquis Legem Collegii Aesculapii et Hygiae. ap. Spon. Misc. p. 52. Fabrett. p. 724. Morcelli T. I. p. 321. Sinceram igitur Codicum lectionem postliminio reduxi. Ob eandem sermonis legum actionumque civilium ignorationem, tamdiu, etiam a Schützio, reiectum est *paret.* cfr. Gaium L. 4. de formulis. v. c. p. 323. Ed. 2.

Quid porro quaerendum est? Factumne sit? At constat. A quo? At paret[1]). Vidit igitur[2]) etiam in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur: quum videret nos fateri, neque quaeri umquam iussisset, nec vobis tam salutarem hanc in iudicando literam, quam illam tristem dedisset. Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil gravius contra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. Nam qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putavit. Iam illud dicet ipse profecto, quod sua sponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an tempori.

VII. Domi suae nobilissimus vir, senatus propugnator, atque, illis quidem temporibus, paene patronus, avunculus huius nostri iudicis, fortissimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Drusus occisus est. Nihil de eius morte populus consultus, nulla

1) patet. 2) *abest:* igitur.

vidit igitur etiam] Ita 18. 24. (73. 92.) Taur.

quod nisi vidisset] v. Matthiae *Misc. crit.* 2, 3. p. 85.

neque quaeri — nec vobis] Sic *neque — nec*, vel *nec — neque* frequenter alternat, inprimis apud Lucretium.

putarit] Ita 18. sec. m. 24. 13. var. 92. Taurin. 1. ex. corr. Vitiosum *putet* ex scripturae compendio ortum est.

VII. *domi*] *domui* etiam 1. Lag. Sed talia, etsi fortasse vera, revocari iam nequeunt: quocirca neque infra, quamvis praeeunte Peyronio, *poeniendum, poenienda* recepi: talibus enim quis modum statuat? Mox apud Garat. est *a patribus nostris*, nescio unde: nam reliqui omnes, quos consului, habent ordinem vulgatum.

quaestio decreta a senatu est. Quantum luctum in hac urbe fuisse a nostris patribus accepimus, quum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna vis esset illata? Quis tum non ingemuit [1]), quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse [2]) cuperent, eius ne necessariam quidem exspectatam esse mortem! Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? Certe nulla. Quid ita? Quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitae dignitatem summorum, atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur [3]), et legibus. Nisi forte magis erit parricida, si qui [4]) consularem patrem, quam si quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Hoc enim saepe ab istis dicitur. Proinde [5]) quasi Appius

1) gemuit. 2) ∾ *inducendum:* esse. 3) ∾ *tenetur.* 4) quis. 5) perinde.

ingemuit] Ita 24. 67. 69. 73. Lag. *gemuit* omnino nimis est exile.

omnes esse cuperent] *omnes cuperent* etiam 7. 8. 18. 24. 86. Lag. Mox *tenetur* 1. 8. 97. „Parum recte Weiskius verbum *teneatur* tentat. Non dicit Cicero, quid fieri soleat, sed quid faciendum sit, praecipit, quam rationem etiam quae statim dicuntur confirmant, *nisi forte magis erit parricida.*" Huldricus. Mox multi quoque Lagomarsiniani *patricida*, ut semper scribebat Lambinus, et *qui.*

proinde quasi] Quamquam ex significatu diverso vocabulorum *perinde* et *proinde* probe perspecto manifesto apparet, verum esse *perinde quasi*, *perinde ut*, *perinde ac* et *perinde atque:* examinatis iis, quae de hac re congesserunt Oudendorpius ad Apul. Metam. p. 842 Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 31. Goeschen ad *Gaium* p. XXXXIII. Lion ad *A. Gell.* p. 4. Garatonius ad h. l. cet. in his quatuor formulis contrarium usum

ille Caecus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Itaque in eadem ista Appia via, quum ornatissimum equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum; homo enim nobilis in suis monumentis equitem Romanum occiderat. Nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat? Quae cruentata antea caede honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis et parricidae sanguine imbuta est. Sed quid ego illa[1]) commemoro? Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interfi-

1) ∾ *illam.*

aliquando obtinuisse e Codicibus merito colligimus: etsi sunt loci, veluti Tacit. *Germ.* C. 5. ubi libri antiqui miro consensu *proinde* loco alterius retinent, quamvis particulis illis iunctum non sit. Quid igitur faciamus? Summum illum arbitrum, loquendi usum sequamur. Hoc loco multi tamen *perinde quasi:* infra vero, et Cap. 31. omnes, ni fallor, *proinde quasi* exhibent. Similes turbas aliquando fortasse excitabit Italorum *però* et *perciò*, quae etsi probe distingui possunt, sexcenties tamen quotidie confunduntur.

P. Clodius] mirum, hoc a tot Codd. etiam Lagomars. omnibus abesse. Taur. 1. habet *P. Claudius.*

Appiae nomen] V. supra ad Cap. 5. *viae* tamen hic quoque addunt 2. 11. sec. m. 86. sec. m. Sed necessarium non videtur.

Illa commemoro] „*Illam* Codices praeter 6. pr. m. 9. 20. 24. 97. Editio 73. Lag. *Illam* etiam uterque Taurin. Praeter codicum auctoritatem, ipse quoque contextus huic lectioni suffragatur: nam orator a via Appia ad templum Castoris, quod maius est, gradum facit.“ Peyron. Nec tamen recepit *illam:* concederem utique, si *templo Castoris* addita esset λήκυθος aliqua oratoria, loci sacri violationem deplorans: sed, ut nunc res est, *illa* una cum via Appia caedem quoque M. Papirii in ea perpetratam complectitur; ideoque nihil mutavi.

ciendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro postea Pompeius; caruit senatu; caruit publico; ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit. Num quae [1]) rogatio lata? num quae [1]) nova quaestio decreta est?

1) ∾ *qua* — *qua*.

num quae rogatio] *numquid* 43. *numquam* 7. 54. pr. m. 54. Lag. Vel in nostro palimpsesto legi *si quae* Peyron. Eandem lectionem contra Garatonium defendit Moebius ad Orat. *pro Deiot.* §. 19. Sed collatis observationibus Gernhardi et Beieri ad Cic. *de Offic.* 2, 21. Stallbaumii ad Ruddimann. I. p. 201. incertus adhuc haereas, utrum discrimen, quod nunc statuere solent inter formulas *si quis*, *si qui*, *si qua*, *si quae* transferri debeat etiam ad hasce *num quis*, *num qui*, *num qua*, *num quae*, necne? Vix puto. Etenim hic et in l. l. Deiotarianae sive *quae* scribas, sive *qua*, utrumvis nihil aliud potest significare, nisi *num ulla;* nam grammaticum vel subtilissimum nullum prorsus arbitror discrimen excogitare posse inter haec *num quae rogatio lata?* et superiora illa: *num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est?* ubi si v. *igitur* omittere voluisset, aequo sane iure dixisset: *num quae quaestio*, etsi auribus hoc minus gratum accidisset. Eo igitur inclinat animus, ut statuam *num quae* gen. fem. antiquiorem esse formam, a plerisque Codd. servatam, ideoque retinendam: alteram *num qua* postmodum ab iis esse commendatam, qui analogiam alterius illius pronuntiandi rationis *si qua* sectandam rati essent, ac fortasse significatus etiam discrimen inter utramque statuerent. At frustra, ut opinor. Etenim ubi interrogaveris: *Num rogatio lata est?* vis sententiae inerit in nomine substantivo *rogatio*, exspectabisque alterum tibi responsurum esse: minime quidem lata est rogatio, sed alia, quaecunque demum fuerit, actio in rem aut in personam est constituta: *num quae rogatio lata est* interrogans, maior vis quum insit in pronomine, simplex feres responsum: *Minime vero.* Tertium autem locum neutiquam habet, quia in particula *num* alterutra in interrogatione nulla vis inest propria ac distincta. Aliter quidem rem se habere in particula *si*, arbitrantur nunc permulti: nam aut huic, aut pronomini maiorem vim tribui, ubi dixeris aut *si quae rogatio*, *wenn irgend ein Antrag*, *welcher Art er immer seyn mag*, *se una legge qualsivoglia*, aut *si*

Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus; ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur salus civitatis; eo porro rei publicae tempore, quo, si unus ille occidisset [1]), non

1) ∾ *cecidisset.*

qua rogatio, wenn ja, wenn jemals, wenn doch ein Antrag, se mai, se in qualunque caso una legge. — Attamen, ut, quod sentio, dicam, subtilitas ista haud levibus premitur difficultatibus. Primum enim ubique fluctuant Codices, *si quis* et *si qui* sine ullo discrimine ponentes et ante vocalem et ante consonam, et ubi substantivum sequitur, et ubi pronomen *si quis* ipsum substantivi locum tenet, ita tamen ut antiquiores et meliores magis sint proclives in scriptionem *si qui, si qua.* (Sic etiam in fragmentis legis Serviliae nuper a Klenzio editis promiscue insculptum est: *ne quis*, et *ne qui.*) Deinde in genere neutro nullum omnino locum habet discrimen nisi pervagatum illud inter *si quid* substantive positum, et *si quod* adiectivum ante substantivum, ubi magna iam pars discriminis, quod sibi fingunt Grammatici evanescit. Quid? quod nemo attendisse videtur, id plane nullum esse in reliquis casibus omnibus; qui enim, quaeso, distingues *si cuius voluntas improbanda est, si cuius civis voluntas improbanda est, si cui placuerit, si cui philosopho placuerit, si quem desideres, si quem amicum desideres?* Omitto cetera, ne putidus sim. Minime igitur probabile est, in nominativo casu Latinos unquam cogitasse de subtili istiusmodi discrimine, quod in ceteris casibus ne significare quidem possent, sed permiscue et pronuntiasse et scripsisse, *si qui, si quis, si qua, si quae.*

occidisset] Alteri lectioni a Garatonio receptae *cecidisset* accedit nunc Taurinensis 2. auctoritas. Quo tamen abstinerem ab ea probanda, duplex fuit caussa: nam de interfectione omnino Pompeii, non de eversione potentiae Pompeianae sermo est, neque ullam hoc quidem in loco dilogiam requiro; neque *concidissent* significare potest, *simul cecidissent*, sed unice *defecissent, afflictae, perditae fuissent.* Deinde, nisi magnopere fallor, *cecidisset* h. l. profectum est a minus perito exscriptore, qui unum scilicet transitivum *occidisset* agnosceret, ideoque soloecismum se corrigere opinaretur rescribendo

haec solum civitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi vero quia perfecta res non est, non fuit punienda: proinde[1]) quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit, re non perfecta; sed puniendum certe nihilo minus. Quoties ego ipse, iudices, ex P. Clodii telis, et ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non vel mea, vel rei publicae fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?

VIII. Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest. Luget senatus; maeret equester ordo; tota civitas confecta senio est; squalent municipia; afflictantur coloniae; agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non fuit profecto[2]) ea causa, iudices, non fuit, cur sibi censeret Pompeius quaestionem ferendam; sed

1) perinde. 2) profecto *legitur ante v.* causa.

cecidisset. Praeterea hoc quoque inter utrumque verbum discrimen probe est notandum: *occidit* homo sine ullo suo dedecore, sive fato ita volente, sive interfectoris crudelitate: eum, qui *cadit*, vel suâ vel alterius culpâ, nullus manet honor. Hoc ubi mecum reputo, video, cur Cicero de Pompeio verba faciens dixerit *occidisset*, non *cecidisset*. Cfr. etiam *Brut.* 24. p. 72. *Ellendt.*

VIII. *nemo ferre*] *ferre nemo* Gar. Peyron. sine auctoritate.

profecto] nullus habet Lagomarsinianorum. (De loco, quem *profecto* tenet cfr. 26, 69. 31, 84. Bremius.) Infra additamentum illud *et divina* ex ordine Schuetziano praebet unus 9. Lag. sed Bavarico cum Gar. et Peyr. fuit obtemperandum. Ante *familiarem* margo Cratandr. repetit *fuisse*.

homo sapiens, atque alta, et divina quadam [1]) mente praeditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. In communi omnium laetitia, si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. Multa etiam alia vidit, sed illud maxime: quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina. Neque vero, quod nonnulli dictitant, secrevit in iudicibus legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir iustissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea, quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. Sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod res publica nos coniunxit cum bonis. Ex quibus ille quum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non [2]) studiosos mei. Quod vero te, L. Domiti, huic quaestioni praeesse maxime voluit: nihil quaesivit aliud [3]), nisi iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut consularem necesse esset: credo, quod principum munus esse ducebat, resistere et levitati multitudinis, et perditorum temeritati. Ex consularibus te

1) et alta quadam et divina. 2) non legere. 3) ∾ *eiiciendum:* aliud.

non potuit legere non studiosos mei] Perperam Schuetzius recepit Ernestii suspicionem *n. p. non legere st. mei*, qua quidem sententiae vis admodum infringitur. Mox *aliud*, quod ab uno abest Bavarico, in omnibus vero Lag. et Peyr. servatur, non sum ausus eiicere.

creavit potissimum. Dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima. Quamobrem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus: si neque omnis confessio facti est inusitata; neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est; et lator ipse legis, quum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit: et electi [1]) iudices, isque praepositus quae-

1) ∾ *et delecti.*

nostra aliter] Cur Gar. et Moeb. *nostra* uncis incluserint, equidem nescio.

et electi iudices, isque cet.] „Ernestus sententiam non putat absolutam, quum *iudices*, isque qui *praepositus* sit *quaestioni* non habeat praedicatum tale, quale senatui et legis latori fuerit tributum. Igitur lacunam esse suspicatur. Sed Cicero hoc loco ea tantum breviter commemorat, quibus adversariorum criminibus, quae iactabantur, aditum sibi ad causam muniens, responderat. Ea crimina erant C. 5. *negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur.* C. 5. *Caedem, in qua P. Clodius occisus est senatum iudicasse contra remp. esse factam.* C. 6. *At enim Cn. Pompeius rogatione sua, et de re et de caussa iudicavit.* Denique ultimum fuit C. 8. *Secrevit in iudicibus legendis amicos meos*, cui respondet ita, ut ostendat, Pompeium in quaesitore et iudicibus legendis nihil aliud quaesivisse, nisi iustitiam, fidem cet. Ea igitur explicans quae contra adversariorum crimina probaverat, non minus bene caput ultimum, quod ad iudicum legendorum rationem pertinet, attigit quam priora et non est cur quidquam deesse ad sententiam putemus. Fortasse sententia clarior esset, si scripsisset, *et electi iudices* ii, *isque praepositus* cet. Sed quum statim sequatur *isque*, pronomen *ii* eo facilius potuit omitti neque in omni re aliquid dubium aut incertum esse videtur." Huldricus. Rectissime, idemque fere fuit Weiskii postea iudicium. Concitata scilicet oratio hoc, si quid duri inest, satis excusat: illud miror, neminem offendisse in verbis *et electi*, quum necessario requiratur *et delecti* (vel *et lecti*); ita supra quoque pro *legendis* bis Lagomarsiniani aliquot Mss. perperam habent

stioni, qui haec iuste sapienterque disceptet: reliquum est, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi, uter utri insidias fecerit. Quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam

eligendis. Male Peyron. e corruptelis quorumdam suorum dedit *et electi iudices estis*, nec multo melius Schuetzius *electissimi* suspicatur, aut *electi* si retineatur, mox legendum *disceptent.* In seqq. mirum est a tot Codd. etiam Lag. et Peyr. abesse v. *fecerit;* capite 11. ubi eadem verba recurrunt, omnes id retinent.

Quod quo facilius argumentis] Sicut ex ineditis Heumanni ad Hagenbuchium nostratem epistolis collegi, eum poenituit quidem coniecturae suae *facilius ac luculentius*, sed novam interpretationem hanc tentavit: *facilius quam per argumenta*, qua Hagenbuchius tanquam latino sermoni repugnante recte reiecta, ita pergit: „Oratione hac tota id sibi agendum sumsit Cicero, ut demonstraret quam clarissime, insidias Miloni a Clodio factas esse; ante vero quam id demonstratum iret, refutat quaedam et in senatu et in concione, et paullo ante ab accusatoribus dicta; quibus Capite 3. et quae id excipiunt ad nonum usque confutatis, etsi non nesciebat, nihil aliud quaeri, nisi uter utri insidias fecisset, nondum tamen argumenta profert, quibus Clodii insidias luce ipsa clariores se facturum confidebat, et quae demum inde a Cap. 12. persequi incipit. Sed argumentis ipsis ipsam narrationem rei gestae praemitti magis e re sua putavit esse et Milonis, hoc consilio, ut audita caedis historia iudices vim argumentorum narrationi subiungendorum eo melius sentirent: cuius consilii sui, quo absoluta etiam refutatione, quam diximus, nondum argumentis evincere statuit, Clodium Miloni insidias fecisse, hanc ipse rationem adfert, iudices ad audiendum antea narrationem simul attentos facere studens: *quod* (uter utri insidias fecerit) *quo facilius ex* (adferendis mox a me) *argumentis* (iam supra C. 3. promissis) *perspicere possitis, rem gestam* cet." — Ad haec Heumannus: „In Milon. C. 9. me non vidisse acute agnosco. Nec vero tua se mihi probat interpretatio. Nam quum *coniectura perspicere* (pro *Leg. Manil.* c. 9. 15.) dici queat, non tamen credo etiam *argumentis* (hoc est, ex argumentis) *perspicere* posse dici. Habes igitur, de quo denuo mediteris." — Respondet Hagenbuchius: „Qui *in Verrem Act.* I. c. 6. (17.) dixit: *quae res primo, iudices, pertenui nobis argumento iudicioque patefacta est*, eumne dubitem pro Mil. *argumentis per-*

vobis dum breviter expono, quaeso, diligenter attendite.

IX. P. Clodius quum statuisset omni scelere in praetura vexare rem publicam, videretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses praeturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paullum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rem publicam quaereret: subito reliquit annum suum, seseque [1]) in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est, ad evertendam rem publicam, plenum annum atque integrum. Occurrebat [2]), mancam ac debilem praeturam suam

1) seque. 2) *additur* ei. ∾ enim.

spicere dicere et potuisse et voluisse? Plaut. *Rud.* 4, 4. 136. — *age eamus, mea gnata, ad matrem tuam, Quae ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere, Quae te magis tractavit magisque signa pernovit tua:* quae *argumentis exquirere* rem ex filia optime poterat, eamne male existimabimus dici *argumentis perspicere* rem potuisse? Idem Epidic. 4, 2, 27. expressa modi praepositione: *quibus de signis agnoscebas? Pe. Nullis.*"

IX. *Subito reliquit annum suum*] Cfr. fragm. *de aere al. Mil.* p. 96. Mai. *tuamque praeturam non tuo modo differas.*

occurrebat, mancam] *occurrebat enim* 2. 10. 11. 18. 21. 23. 86. 97. 6. et 25. sec. m. *Occurrebat ei* 43. 92. *Occurrebat et. Concinebat.* 4. Ceteri *occurrebat mancam* Lag. Vulgatae (*occurrebat enim mancam*) suffragantur tres Britann. uterque Taurin. Cum 43. consonat Erfurt. quam lect. recepit Ern. At Gar. secutus Bav. Romanam, Ignotam atque edd. vett. edidit *occurrebat, mancam.* Ipse vero ratus hoc v. *occurrebat* non pertinere ad historiam rei gestae, qua *subito reliquit, transtulit, contulit se*, sed factorum rationem reddere, admisi particulam *enim* (nolente tamen typographo) Peyron. Mihi vero *ei* ex interpretatione fluxisse vi-

futuram, consule Milone: eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat. Contulit se ad eius competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus, etiam invitis illis, gubernaret: tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus, se interponebat; Collinam novam dilectu perditissimorum civium

detur, quod quum alii pro scripturae compendio haberent, dederunt *enim*, alii *et:* hoc ipsum vero quum probari vix posset, Sulpicius Victor ita refinxit: *et mancam et debilem*, prava omnino ratione, quoniam particulae *et* — *et* maiorem aliquam oppositionem requirunt, quam quae est inter *mancam* ac *debilem*. Quocirca Garatonium secutus sum. Sic c. 18. *nam occurrit illud.*

Collinam novam — conscribebat] „Quid sit *Collina nova*, non liquet. Fortasse, quum servos, qui privata dominorum voluntate erant manumissi, vellet Clodius civili libertate donare, novam tribum urbanam, quae esset Collina nova, creare meditabatur, in qua novi liberti cum civibus sceleratissimis recenserentur: ita tamen, ut vel in rusticis tribubus suffragium ferre possent.“ Peyron. Nec Garatonii, nec Peyronii difficillimi huius loci interpretatio mihi satisfacit. Ille enim in medio plane relinquit, quo tandem consilio et quomodo conscripserit Clodius cives illos perditos: nimisque contorte ita significasset orator sententiam per se non nimis bonam, tot, nescio quem ad finem conscriptos esse, ut Collina tribus, quae maxima erat, maiorem tribulium numerum non haberet. Peyronius vero leges, quas rogare quidem meditatus erat Clodius, nunquam tamen ne promulgaverat quidem, miscet cum eo, quod revera fecisse hic insimulatur; neque tam stultus fuisse putandus est, ut inani conatu et sine ulla fere utilitate quintam tribum urbanam facere tentaverit. Falsissimum denique est, fieri potuisse, ut is, qui urbana esset tribu, etiam in rusticis suffragium laturus esset, nisi omni reip. forma funditus eversa. Hoc dicit Cicero: quo voluntati suae prorsus obnoxiam haberet tribum Collinam, tam magna novorum tribulium, perditissimorum hominum, turba eam augere tentabat, (*conscribebat* dicit, non *conscripsit*) ut ipsa nova tribus posset videri, et alia ab ea, quae ante fuerat. Unde vero novos istos tribules conscribebat? Utrum ex adolescentium multitudine in nullam dum tribum

conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani saepe esse declaratum: palam agere coepit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse; vitam posse. Significavit hoc saepe in senatu: dixit in concione. Quin etiam Favonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret, Milone vivo, respondit, tri-

relatorum? At scimus e lapidibus, sub Imperatoribus saltem, pueros a primis statim annis tribubus esse adscriptos. v. c. Grut. 711, 11. est tribulis annorum *quinque*. Mur. 935, 3. annorum *octo*. Oderic. p. 221, 61. annor. X. Grut. 618, 3. ann. XIII. — Anne perditis istis tribum ut mutarent, suadebat? Id vero probabilius, quum satis constet, Censorum edictis istam licentiam interdum fuisse coërcendam. Sed longe praestat ita intelligere, ut omni hac oratoria ληκύθῳ — est enim exaggeratio — nihil aliud fere dicatur, nisi Clodium id egisse, ut servorum vindicta manumissorum numerus haud contemnendus Collinae tribui adscriberetur.

occidendum Milonem] Huc usque omnem Varietatem Lagomarsinianam nobiscum communicavit Peyron; deinceps notabiliorum lectionum delectum dedit.

servos agrestes et barbaros] „Post *servos* Weiskius interpungit, *servos*, *agrestes*, *et barbaros*. Haud scio, an minus recte. Si *agrestes* a *servis* seiunxisset, *homines* scripsisset *agrestes*.“ Huldricus. Rectissime: et quinam *barbari*, nisi servi? Ad eosdem, non vero ad reliquias exercitus Catilinae referri videtur fragm. orat. *de aere al. Mil.* p. 92. ed. Mai. Garatonio iam laudatum.

duo illum, aut [1]) summum quatriduo, periturum. Quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

X. Interim quum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter sollemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII Kalendas Feb. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat di-

1) ad.

aut summum] Ita Gar. de coniectura. v. supra cap. 5.

X. *ad Flaminem prodendum*] Eruditissimam Garatonii adnotationem in aliis corrigendam, in aliis accuratius definiendam arbitror. Quod dicit de Flaminatu perpetuo, pluribus nititur testimoniis apud Grut. et Mur. quibus accedit lapis Pompeianus nuper effossus apud Romanelli *Viaggio a Pompei.* T. I. p. 83. *Valentis Flaminis Neronis Aug. F. perpetui* cet. Admodum dubii vero sunt *Flamines quinquennales*, quamvis agniti etiam a Bimardo apud Oliver. *Marm. Pisaur.* p. 82.: prodeunt enim e duobus dumtaxat lapp. Grut. 261, 4. ac Ligoriano, eoque nomine valde suspecto, et 397. 3. ubi Quinquennalitas munus potest esse municipale. „Sunt, qui Pontificatum quinquennalem memorare videantur. v. c. Grut. 437. 5. *C. Mesfio — — Praef. Fabr. Pontif. Quinquenn.* — cet. (Brixiae) Grut. 446, 2. *M. Oppio Capitoni — Praef. Fabr. Pont. QQ. II. Q. IIII. P. C.* cet. (Auximi) quo usus est a Turre *Mon. vet. Antii* p. 362. ut adstrueret *Pontificatum quinquennalem*, quem itidem reperisse sibi visus erat in lap. Foroiuliensi (ib. p. 331.) *T. Vettidius. T. F. Scapt. Valens IIII. Vir Iuri Di. QUINQ. PONT.* cet. item ap. Grut. 446, 2. 479, 1. sed quum lapis Auximas, tum Foroiuliensis praesertim, in quo *Quinq.* praeponitur voc. *Pontif.* clare demonstrant, duo esse munera, *Pontificatum*, inquam, et *Quinquennalitatem municipalem.* Lege igitur: *Pontifici.* (item) *Quinquennali iterum. Quaestori quartum. Patrono Coloniae.*" Haec Hagenbuchio debentur. in Adnotatt. Mss. ad Grut. Pergit Garatonius: *Certus erat huic rei dies constitutus a. d. XIII. Kal. Februarias:* Lanuvii puta, non in municipiis cunctis. Et accuratius Asconius in argumento: *A. d. XIII. Kal. Milo Lanuvium profectus est ad Flaminem prodendum postera die.* Quod deinceps observat, municipales Flamines a Diis cognominari non consuevisse, haud usque-

ctator Lanuvii Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intel-

quaque verum est. Reperi equidem Metis *Flaminem Dialem* Grut. 307, 8. nisi de Romano intelligendum, Metis, ut dicebant, consistente: Ameriae, *Flaminem Victoriae et Felicitatis Caesar. perpetuum* Grut. 388, 3. Cularone s. Gratianopoli *Flaminem Virbialem* Gud. 119, 8. Bimard. *Prol. ad Mur.* p. 85. in eodem oppido *Flaminem Iuventutis* Millin *Mag. Encycl.* 1805. T. 4. p. 71. ut taceam *Flamines Caesarum* ap. Grut. 193, 3. 359, 4. Donium p. 74, 31. Flaminicam primam Augusti in lap. Ebroduni nuper effosso cet. Sed quod vere dicit Garatonius hoc est: reperiuntur tum Flamines singulorum oppidorum v. c. *Flamen Coloniae Aquensis exornatus* Grut. 403, 5. provinciarum v. c. *Flamen Provinciae Alpium maritimarum* Zachariae *Excurs. lit.* p. 54. tum Sacerdotes et Pontifices: veluti ipsorum, quibus de agitur, Lanuvinorum: *C. Sallio C. F. Qui* (rinâ tribu) *Proculo. Sacerdoti Lanuvinorum immuni. Pontifici. Patrono Civitatis Amiterninorum. Iterum QQ.* (Quinquennali) *Summo Magistro Septaquis* cet. Fabrett. p. 450, 61. it. Mur. 1098, 1. correctius in Giovenazzi *Aveia* p. V. — ac praesertim *Pontifex Laurentinorum ornatus* Grut. 403, 5. Alii vero sunt *Pontifices Laurentes – Lavinates*, et (omisso voc. *Pontif.*) simpliciter *Laurentes – Lavinates*, *Sacerdotes Caeninenses* (*privilegio muniti.* Grut. 484, 6.) variis in Municipiis, non solum Lauro - Lavinii (sic Frontin.) vel apud Caeninenses ipsos instituti, de quibus in sylloge mea Inscriptionum latinarum disserendi locus erit. — Neque solum *flaminem prodere* dicitur, sed etiam *capere* v. Gell. N. A. 1, 12. et, quum proditus est, *inauguratur.* Ulpianus fragm. T. 10. in Hugonis *Iure Ante – Iust.* p. 35. *In potestate parentum esse desinunt et hi qui Flamines Divales inaugurantur, et quae Virgines Vestae capiuntur. Flaminis exaugurati* mentio superest in lapide Romano ap. Marini *Atti.* I. p. 166. — Dictatorem Lanuvinum reperi ap. Marini *Atti* I. p. 224. *Senatus P. Q. Lanivinus* (sic) *ex P...* (f. P. P. id est, pecunia publica) *Claudio Caesari Aug. Germanico Pont. Max. Tr. Pot. II. C. Caecio Pulchro Dictatore. P. Antonio Celso. L. Laberio Maximo Aedil.* — Dictatores municipales ex lapidibus novi equidem praeterea Ariciae, Albae Longae, Fidenis, Caere, Nomenti. Est et *Dictator Querquennorum* apud Mur. 1035, 5. Donatum 2. p. 335, 2. Praetores contra erant Ferentini, et Puteolis: *Magistri*, Ravennae v. c. Consules vero municipales in lapidibus vel corruptelis, vel falsis interpretationibus v. c. ubi memo-

lectum est) Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, numquam reliquisset. Milo autem quum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit; calceos et vestimenta mutavit; paullisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est; deinde profectus [1]) id temporis, quum iam Clodius, si quidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius, expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod numquam fere: quum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno impedimento, ac muliebri [2]) et de-

1) profectus est. 2) ∾ *magno, et impedito, et muliebri* ∾ *illigatus magno et impedimento et muliebri ac delicato.*

rantur Consules Romani suffecti annorum incertorum, vel denique fraudi manifestae debentur. Putida haec omnis quibusdam videbitur diligentia. Haud repugno; sed illustri aliquo exemplo docere placebat, qua cautione versandum sit in omnibus iis, quae ex minus pervagatis antiquitatis Romanae capitibus a summis etiam viris in medium proferuntur, praesertim ubi ad lapidum testimonia, rem infinitam, summis difficultatibus irretitam, ideoque hodie fere neglectam recurritur.

profectus id] *est* omittunt Codd. omnes Lag. et Peyr. quocirca delevi.

paenulatus, magno impedimento ac muliebri] Erat in Ed. Gronovii, *paenulatus vulgi magno imped. ac mul.* quam ad lect. haec notavit Lagomars. *vulgus* Codd. omnes, praeter 9. Edd. 67. 68. 75. 88. *cum* 9. *vulgique* 69. *vulgus* etiam uterque Taur. *et impedimento* Codd. omnes, praeter 9. Edd. 68. 88. Peyronius Ernestianam lect. dedit, quae placuit etiam Huldri-

licato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum eius, hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: adversi rhedarium occidunt. Quum autem hic de rheda, reiecta paenula, desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius servos, qui post erant; ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, quum ad rhedam pugnari viderent, et [1]) domino succurrere prohiberentur,

1) ∾ omittitur *et*.

co. Taurinensis criticus insuper haec adnotat: „Iam quum Codd. fere omnes exhibeant *vulgus*, coniicio ex emendatoribus alios emendasse *vulgi*, alios omnino omisisse vocem haud probabilem. Hanc vero in nominativo casu ecquem serio addidisse credemus? Neque enim illa aut ad glossam pertinere, aut cum contextu cohaerere potest. Quare primigenia mihi videtur, atque participium compendiose scriptum; hinc credo syllabam *uul* in antiquis codd. facile fucum fecisse librariis, quippe quae paene confundatur cum adfinibus *vil*, *illil*, *mil* cet. Legerem ergo: *illigatus magno et impedimento*, *et muliebri ac delicato — comitatu*. Nonne Tullius infra 20. Milonem dixit fuisse paenula *irretitum*, rheda *impeditum*, uxore paene *constrictum?* Quidni scribat *impedimento illigatum?* Semel ac vero compendiose scribi coepit *illigus*, facile abiit in monstrosum *vulgus*.“ Egregia sane coniectura dignaque, quam recipiat futurus editor Schützio audacia par.

sunt partim quum] Ab his verbis incipit folium 25. 30. Palimpsesti Taurinensis, idemque desinit in verbis *in his personis valeat*. Peyron.

et domino] *et* omittunt Codd. Lagom. omnes itemque Taurin. uterque; deleverunt Gar. et Peyr. Habet id tamen Palimps. Taur. mihique recta

Milonem [1]) occisum et [2]) ex ipso Clodio audirent, et revera [3]) putarent, fecerunt id servi Milonis [4]) (dicam enim [5]), non derivandi criminis causa, sed ut factum est,) neque imperante, neque sciente, neque [6]) praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

XI. Haec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus [7]), vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid res publica consecuta sit; nihil, quid vos; nihil, quid omnes boni. Nihil sane id prosit Mi-

1) Milonemque. 2) etiam. 3) ita esse. 4) *deest* servi Milonis. 5) ∾ additur *aperte*. 6) ∾ *nec* — *nec* — *nec*. 7) ∾ additur *est*.

omnino videtur antiquissima ista lectio, ita ut in duo tantum membra haec dividantur. 1. *quum ad rhedam pugnari viderent et* (eodem tempore) *domino succurrere prohiberentur.* 2. (quum praeterea mox) *Milonem occisum — audirent.* quo ἀσυνδέτῳ duae actiones diversae melius seiunguntur. Veras lectiones *Milonem*, omisso *que*, *et ex ipso*, *et re vera*, *servi Milonis* (quod quidem et Huldricus et Schützius glossematis loco habent) tuetur Palimps. Taur. ut de aliis taceam.

dicam enim] *aperte* unus addit Palimps. Taur. recepitque Peyron; quod etsi primo quidem intuitu glossematis speciem non habeat, tamen ceterae eiusd. Palimps. interpolationes ab eo amplectendo me deterruerunt. Fuerit igitur glossema non tam grammaticum, quam rhetoricum magistri discipulis insignem illorum *dicam enim* ἔμφασιν declaraturi. Nec sane nimis bene coit cum verbis *non derivandi* cet. sed trahendum esset ad ultima capitis verba. Mox Palimps. ter *nec* — *nec* — *nec.*

XI. *superatus*] *est* addunt Palimps. Taur. Taur. uterque, et Lag. complures, recepit Peyron, neque tamen agnoscit Quinctil. 4, 4, 358. Gesn.

nihil sane id prosit] *nihil sane quod prosit* Palimps. Taur. *n. sane quid p.* Taurin. I. Romana. Iam si legas *id*, scribendum est *nihil sane id prodest Miloni.* Si praeoptas *prosit*, quod libri omnes exhibent, legendum est *quod.* Peyron.

loni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rem publicam vosque servaret. Si id iure non posset [1]), nihil habeo, quod

1) ∾ *Si id iure fieri non potuit.*

Nihil vidi magis: etenim perversissima est sententia, et prorsus ambigua lectionis istius Taurinensis, ex manifesto librarii errore natae, utpote quae significet vel, *nihil dico, nec dicturus sum, quod prosit Miloni,* vel peius etiam *nihil respublica consecuta est cet. quod prosit Miloni.*

si id iure non posset] Operae pretium est videre, quomodo in hoc coniunctivi imperfecto offenderint et antiqui et recentiores magistri. Etenim ii, quos secuti sunt librarii Erfurt. et Bavar. *generalem* sententiam requirentes refinxerunt: *si id fieri iure non posset; specialem* vero, ut barbare loquar, id est uno Milonis facinore definitam, Bobbiensis S. Taurinensis palimps. *si id iure fieri non potuit*, quod etsi Peyron recepit, glossema dumtaxat est. Ernestius *si id iure non potuisset*, cuius suspicionis duplex exstat Heusingeri et Huldrici refutatio. (Cfr. Beier. ad III. *de Offic.* 19.) Garatonius denique *si id iure non possit*, id est, hoc ipso temporis momento, quo habetur oratio et omni deinceps tempore, excluso tamen per hoc verbi tempus facinoris ipsius momento; sententia omnium minime probanda et a Moebio iam reiecta. Sed Huldricum audiamus contra Ernestium ita disputantem: „Hoc loco Ernestus mutationes duas in temporum ratione suscepit, quae minus probandae videntur. In his scribere voluit *potuisset*, quia etiam postea sit, *quod si ita putasset.* Sed eorum verborum diversa est ratio: huic nostro *posset* respondet ad sententiam potius, *sin hoc natura ipsa praescripsit.* Nempe si Cicero scripsisset *potuisset*, videtur in sequentibus esse debuisse, *nihil haberem, quod defenderem.* Oportebat enim illum in eadem orationis forma permanere, si semel de eo dicere coepit, quod e sua ipsius sententia locum non habuit. Haec enim vis est praeteriti imperfecti (s. plusquamperfecti) si ex eo, quod factum non sit, argumentamur: in ea sententia praesens (s. imperfectum coni.) ponendum non est. Ita postea in verbis, *Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit*, Ernestus dedit *fuisset,* propter idem illud *putasset*, et rem ipsam, ut dicit: quum tamen *fuit* hac ratione saepissime pro *fuisset* usurpetur, idque apud poëtas etiam, in quibus nullam versus corruptionem admitteret. — Exemplum est apud Ciceronem ipsum *pro P.*

defendam. Sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque

Sextio. C. 38. *Si P. Sextius — Occisus esset*, fuistisne *ad arma ituri?* fuistisne *vos ad patrium illum animum, maiorumque virtutem excitaturi?* *fuistisne* cet. — *an etiam hunc quiesceretis* cet. Alia sunt ex eodem genere in hac oratione minus recte mutata ab Ernesto. Ita v. c. C. 29. dedit *etiamsi propter amicitiam voluisset*, quum libri scripti habeant *vellet*, quod neutiquam fuit mutandum. " —

Verissima haec quidem omnia: attamen notioni τοῦ δυνατοῦ (*posset*) et τοῦ ἀδυνάτου (*potuisset*) temporis quoque notionem addendam existimo. *Posset* enim quum dicit, in ipsum illud tempus, quo facinus revera commissum est, cogitatione sese transfert. Cfr. v. c. C. 14. *vindicaret*, C. 15. *cogitaretur*, ubi recentiores fere omnes dixissent *eo ipso tempore vindicasset*, *cogitatum esset.* Insigne porro exemplum huius usus habes *de Invent.* 2, 47. *illum scriptorem si scripta sua stultis hominibus et barbaris iudicibus committeret* (non *commisisset*), *omnia summa diligentia perscripturum fuisse* cet. *Potuisset* si praetulisset, in eo tantum tempore, quo iudices alloquitur, cogitatione subsistens, factum, tanquam nunquam commissum et ἀδύνατον designaret; quo ex temporis discrimine, simul illud, quod Garatonius haud intelligebat, apparet, cur post *posset*, quod notionem habet praesentis imperfecti, (*relativi*, ut ita dicam) ad caedis Clodianae ipsum momentum relati, sequantur praesentia absoluta *habeo* — *defendam.* Optime idem plane perspicitur in Italici sermonis usu: hic enim melius, quemadmodum ipse Garatonius vertit, dixeris: *se non poteva egli farlo a diritto*, *via non veggo a difenderlo*, quam *se ciò non avesse potuto etc.*

quod defendam] Palimps. Taur. *quid defendam.*

Sin hoc et ratio] Idem SICHOCRATIO, ut sit *si hoc ratio.* Sic paullo infra *si hoc* pro vulgato *sin hoc*, ut Palimpsestus non multum suffragetur particulae *sin.* Peyron. Scilicet ex earum numero fuit particula *sin*, quae posterioribus seculis, quarto puta vel quinto paullatim ex usu evanuerunt.

et feris] Palimps. Taur. *et feris etiam beluis natura.* Quod additamentum libris omnibus ignotum glossam mihi sapere videtur praecedentium verborum *et feris.* Etenim *ferae* sunt *bestiae immaniores.* vid. *pro Roscio Amer.* 26. quare *beluae* neque differunt a feris, neque iis gravius aliquid addunt. Peyron.

ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum. Quod si ita putasset: certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia se illi non iugulandum [1]) tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit; illud iam in iudicium venit, non, occisusne sit, quod fatemur, sed iure, an iniuria: quod multis in causis saepe [2]) quaesitum est. Insidias factas esse constat; et id est, quod senatus contra rem publicam factum iudicavit; ab utro factae sint, in-

1) ∾ *iugulandum non.* 2) ∾ iam saepe.

Miloni fuit] Hanc lect. confirmat etiam Palimps. Taur. v. supra Huldricum. „Lectio Codd. *fuit* videtur tum ex subtiliore Ciceronis usu, tum etiam ex usu Graeco aoristi defendi. Cfr. *in Vatin.* I, 2. ubi item Ernestius lectionem habet pro corrupta. Cfr. tamen eundem ad Suetonii *Caes.* c. 52. Burmannum ad *Lucan.* 3, 597. in primis Heusinger. *Praef. ad libros de Off.* p. 59. Infra 15, 40.“ Bremius.

illi non iugulandum] Palimps. Taur. *non iugulandum illi* quod recepit Peyron. Sed ne hoc quidem praestare videtur vulgato; ita enim separatur *iugulandum* a. v. *tradidisset*, quocum tamen artissima notione coniunctum est. Eandem propter rationem negatio v. *iugulandum* praecedit, non ut voluit 43. Lag. *iugulandum non tradidisset*, quemadmodum tacite edidit Garat. fortasse ex Bavarico, quocum saepe conspirat 43. Lag.

illud iam] Palimps. Taur. *non illud iam in iudicium venit, occisusne:* qua Grammatici alicuius stulta emendatione, perperam a Peyronio recepta, nimis extenuatur vis sententiae.

quod multis in causis saepe quaesitum est] Ita etiam Palimps. Taur. ceteris plerisque in alteram lect. *quod m. antea in c. iam q. est* conspirantibus. Garat. dedit *iam saepe.*

factum iudicavit] plerique Lag. *f. esse i.* sed abest *esse* a Palimps. a Taur. 2. cet.

certum est. De hoc igitur, latum est, ut quaereretur. Ita et senatus rem, non hominem, notavit: et Pompeius de iure, non de facto, quaestionem tulit. Numquid igitur aliud in iudicium venit, nisi, uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi: ut ne sit impune. Si ille huic: tum nos scelere solvamur.

XII. Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, CUI BONO FUERIT, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo ut praetor esset, non eo consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam, ut iis [1]) consulibus praetor esset, quibus, si non adiuvantibus, at con-

1) his.

tum nos scelere solvamur] Palimps. Taur. probante Peyronio *ut scelere solvamur.* Adeo nec Librarius Bobbiensis, neque Lambinus, neque Ernestius viderant *ne sit impune* et *solvamur* imperativos esse; priori negativo, quo intenderetur eius vis, ex usu admodum vulgato superadditam esse particulam *ut;* in altero vero affirmativo huic eidem locum omnino non esse.

XII. *satis est quidem in illa tam* cet.] Palimps. Taur. *satis est in illa quidem tam*, probante Peyronio. Sed particula *quidem* definit sententiam *satis est docere*, neutiquam vero *illam tam audacem belluam.* Hoc enim esset: in *illa* quidem tam audaci bellua satis est docere; in *alia* vero non sufficeret; neque vero virgulis, ut est apud Schuetzium, includenda sunt verba *in illa — bellua.*

niventibus certe, speraret, posse se eludere [1]) in illis suis cogitatis furoribus: cuius illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si possent, reprimere cuperent [2]), quum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur; et, si vellent [3]), fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam. An vero, iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces

1) se posse rem publicam eludere. 2) ∾ *vellent.* 3) ∾ *cuperent.*

posse se eludere] *se posse* libri omnes praeter unum Bavar. qui dat *posse se,* quod Garatonio placuit. Perperam. Nam si vett. codd. revera dabant *posse se:* multi recentiores omisissent pronomen *se* ob parem clausulam vocis *posse,* quod multa paria exempla demonstrant, ipseque Cl. Mai. qui (Schol. Ambros. ad Or. pro Plancio 34. 6. p. 178. ed. all.) *dicens nuntiasse Cn. Pompeio* edidit pro eo quod est in codice *nuntiasse se Cn.* Atqui nullus Codex omisit pronomen *se.* Veteres ergo codd. legebant *se posse.* Adde hiatum *se eludere.* Peyron. At hiatus iste *se posse eludere,* minime differt cum hoc *posse se eludere;* imo quum in apographo, unde vulgarium librorum turba fluxit pronomen solito errore omissum esset, illud quod necessarium videbant, alii ante v. *posse* inseruerunt: *rempublicam* omittunt omnes Lagomars. et uterq. Taur.

ut ipse] *ut ille* Codd. omnes et Edd. praeter 92. Lag. Sic et uterque Taurin. Romana, Ignota. Reciperem *ille,* nisi obstaret proximum *illi.* Peyron.

si possent reprimere cuperent] *Si cuperent reprimere possent* Codd. et Edd. praeter 92. Lag. Absurda haec traiectio infecit libros omnes; quare illam profectam existimo ex uno vetustissimo Codice, unde libri nostri manarunt. Gar. de Lamb. sententia *vellent* tum infra *cuperent;* contra libros nunc notos utrumque. Mox *urbis, pestes* confirmant plerique Lag. et Peyr.

urbis, pestes [1]) rei publicae,) fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus?

XIII. Exhibe, exhibe [2]) quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium [3]) illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse e domo, et ex mediis armis turbaque nocturna tamquam Palladium sustulisse, ut praeclarum videlicet munus, atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses [4]). Atque *permultas leges praeter ius et aequitatem*

1) et pestes. 2) *deest hoc* exhibe. 3) ∾ libellarium. 4) Atque permultas — reprehensio est. *desunt.*

XIII. *eripuisse e domo*] Garat. sine ulla idonea causa delevit praepositionem. Cfr. *pro Plancio* c. 10. p. 65. ed. nostrae: *C. Marium e civili ferro, atque ex impiis manibus eripuerunt. extulisse* pro *sustulisse* habet etiam 1. Lag. Est tamen glossema.

atque permultas cet.] Vide Peyronii prolegomena. p. 7 sqq. Hoc tantum addam, locos omnes, ex quibus supplementum suum confecit, praeceptos, conglutinatos, et ad priorem id est vere habitam pro Milone Clodii interfectore, non ad alteram pro aere alieno Milonis orationem relatos esse iam a Garatonio ad c. 32. p. 213. Ed. Bonon. quocirca non satis intelligo, cur Peyron his oratoriis ornamentis utatur, *incidi tandem in hunc Quinctiliani locum — iterum multa legi* cet. Erunt fortasse in posterum quoque, quibus Garatonii ratio praestare videatur. Equidem cum Peyronio facio, unumque novum argumentum proferam. Persuasum videlicet mihi est, praeclaram illam reticentiam *de nostrûm enim omnium* (scil. libertate ac vita actum fuisset) in altera editione curatius elaborata vel demum esse a Tullio excogitatam, vel si maxime in priore iam actione impetu quodam oratorio in eam delatus sit, in posteriore editione nunquam eandem fuisse omissurum: si quidem divinare debebat fore, ut eam in deliciis haberent, discipulisque imitandam aliquando proponerent rhetores. At, inquit, ea ipsa nimis quaesita et putida fere oratori visa est, quocirca in opere limatiore ab eadem abstinuit. Audio, nec tamen manus do. Vix enim adducor, ut credam ex oratione pro Milone a notariis excepta tum quum

excogitatas quum recitare possem, unam tantum exponam, iudices, ceterarum omen atque firmamentum. Ille enim maiora suis legibus suffragia, atque latrociniis arma comparaturus constituerat, ut servis, qui privata dominorum voluntate manumissi in libertate morabantur, iusta libertas ac civitas Romana cum suffragio in rusticis tribubus ipso iure daretur. An huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium: — non au-

haberetur, Quinctilianum sine aliqua eius rei notatione allaturum fuisse tam illustre exemplum, ut illam etiam tunc, quemadmodum Asconii tempore, superfuisse concedamus, quamvis hoc probari nequeat ex Quinct. 10, 5, 20. Gesn.

Aliam rursus difficultatem in eo videbunt adversarii, quod Quinctilianus paullo post illam reticentiam debitis laudibus cumulatam, tanquam digressionis exemplum, affert illa: *Et adspexit*, quae tamen hoc qualicunque supplemento recepto iam longe artius cum praecedentibus cohaerent. Verum sic quoque ista cum seqq. usque ad *Demonstravi*, iudices digressionis specimen exhibent, etsi minus aliquanto abruptae, quam ante fuerat. Ipsum quoque Peyronii supplementum literis inclinatis excusum in orationis seriem recepi: de quo ille ita p. 310. *in libertate morabantur*] „Haec paene sunt (id est, Peyronio fere fuisse videntur) verba legis Iuniae Norbanae: *Qui inter amicos manumissi sunt, dominive voluntate in libertate morantur, ipso iure liberi sunto, et Latinorum coloniariorum iure utuntor.* Ulpianus. I. 10. *Fragm. regula ex vet. Icto* §. 6. seq.“ Cfr. *Goeschen über das ältere Recht der Freilassungen in Savigny Zeitschrift* Bd. 3. p. 242. — Peyroniani supplementi sententiae quidem satis placent: verba non item. Siquidem *recitari* et *exponi* leges nil attinebat; quippe quum *memorari* eas, vel *mentionem* earum *fieri* sufficeret; *omen atque firmamentum* vix ita iunxisset Cicero, neque *ac civitatis* pro *atque* vel *et* facile scripsisset. Ceterum in illis *quam Clodius — gloriatur* aegre *Sexti* praenomine caremus, idque deletum puto ab iis, qui fragmenti a Quinctiliano servati verba ista ad *Publium Clodium* perperam referrent.

deo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est. Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnibus omnia minabatur. Movet me quippe lumen curiae. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti [1]): tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quare, etsi nefarie fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo [2]).

1) ∾ *proiecisti* 2) quam rem, etsi, quia nefarie fecisti, laudare non possum, tamen, quoniam in m. i. cr. expr. tuam, irasci —.

abiecisti] nullus Codd. recens collatorum *proiecisti*. *semustulatum* scripsit Peyronius. Vide eund. ad fragm. *Orat. pro Tullio* 18.

quare — debeo] Infelicem Ernestii coniecturam temere Schuetzius recepit. „Ernestii mutatio, ut sententiae satisfaciat, tamen durissima est. Equidem aliquando putabam, etiam in lectione antiqua, utut aliquanto obscurius eundem sensum locum habere. Iam vero lubens concedo in Bremii amicissimi collegae sententiam, qui mutatione facillima omnia optime expedit legens uno verbo addito: quum *laudare non possum*. Huldricus Progr. I. Minus recte etiam illa tentantur *laudare non possum*, ut adeo rescribatur *non laudare non possum*, quod dicere non licebat post illa, *etsi nefarie fecisti*. Ne Weiskius quidem satisfacit, qui delere cupit verba, *laudare non possum*. Si nihil eiusmodi Cicero addidisset, post illud *tamen* alienum videatur *certe*, omnisque exilis admodum sententiae exitus. Particula *certe* aperte vindicat eiusmodi sententiam, idque consuetudini Ciceronis

Demonstravi[1]), *iudices*, *quantum Clodii interfuerit* occidi Milonem; convertite animos nunc vicissim ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? Quid erat, cur Milo, non dicam, admitteret, sed optaret? Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius. At eo repugnante fiebat; immo vero, eo fiebat magis; nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; valebant preces, et lacrimae nostrae, quibus ego tum vos mirifice moveri sentiebam; sed plus multo valebat periculorum impendentium timor. Quis enim erat civium,

1) *Demonstravi* — sibi solutam. *desunt.*

omnino accommodatum est. Subintelligitur in tali sententia *quidem: laudare* quidem *non possum: irasci* certe cet. Ante adversativas *quidem* cogitandum omitti dicit Goerenz *de Fin.* p. 186." Idem Progr. II.

Demonstravi, iudices] Incipit hinc alterum defectus supplementum, cuius initio secutus sum Beierum potius (ad *Orat. in P. Clodium et Curionem* pag. 20.) quam Peyronium. Ille scil. haec adnotat: „*Demonstravi, iudices, quantum Clodii interfuerit.* Peyron: *Audistis, iudices, quantum Clodio profuerit*; sic vero Cicero loqui non potuit, nisi occiso Milone." Peyron vero: „*Audistis, iudices, quantum Clodio pro* — Haec verba addidi ex coniectura: folium enim Taurinensis Palimpsesti incipit his verbis *fuerit occidi Milonem*, atque desinit in verbis *iustum fuisse. Relicum est ut iam illum na . . .*

admitteret] explicandum, ut infra c. 23. *Si Milo admisisset aliquid* scil. *in se.* cfr. Ruhnk. ad *Rutil.* p. 82.

Miloni Clodius.] „Hic interrogationis signum ponendum ut in fragm. or. *pro Scauro* ap. Cic. in *Oratore* 67. 223." Beierus. Mihi tamen potius videtur ficti adversarii obiectio, eoque magis, quod verbum initio propositionis collocatum est. In exemplo contra laudato in fine ponitur: *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas.*

qui sibi solutam P. Clodii praeturam sine maximo rerum novarum metu proponeret [1])? solutam autem [2]) fore videbatis, nisi esset is consul, qui eam auderet possetque constringere. Eum Milonem unum [3]) esse quum sentiret universus populus Romanus, quis dubitaret, suffragio suo se metu, periculo rem publicam liberare? At nunc [4]) Clodio remoto, usitatis iam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa et [5]) huic uni concessa gloria, quae quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam Clodii morte [6]) cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, suf-

1) proponi. 2) et solutam. 3) *deest* unum. 4) non P. 5) *deest* et. 6) morte Clodii.

proponeret? solutam] *proponeret solitam* 43. Ceteri fere *proponi solitam.* In lectione Cod. 43. remanere vides defectus vestigia, cuius, ut recte adnotat Peyron, omisso tandem indicio, Grammatici textum ita refinxerunt, ut sensus saltem minus improbabilis enasceretur. Pro v. *fore* in Ed. Stuttgard. operarum errore est *fere*, quod ideo moneo, ne propagetur. Palimps. ipse p. 221. *Peyron.* habet *fore.* Mox idem cum multis addit *unum* (*ni esset* Garat. solus).

at nunc Clodio] Ita Palimps. Egregie igitur confirmat lectionem, cuius veritatem perspexit etiam Huldricus. Ultimus, spero, falsum illud *non* defendit Schützius. Haec praeterea adnotavit Huldricus: Illud *nunc* explicant, quae statim sequuntur, verba: *P. Clodio remoto:* neque obest illud *iam,* quod recte Weiskius vidit, minus tamen bene illud coniungens cum *usitatis:* rectius coniungas cum *nunc*, vel cum verbo *enitendum est.*

et huic] Copulam *et,* quae in libris omnibus deest, addidi obsecutus Palimpsesto. Peyron. Recte.

Clodii morte] Ita Codd. et edd. omnes, praeter 4. qui *morte Clodii* legit. Lag. Cum 4. sola consentit Ignota. Revocavi lectionem codd. a Palimps. confirmatam, quam nuperi editores posthabuerunt. Peyron.

fragationem consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui. Quid? si haec, non dico, maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc: quid vultis amplius? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiem [1]) suae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille, erat, ut odisset, primum defensorem salutis meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo [2]) etiam accusatorem suum, reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum [3]) tulisse creditis? quantum odium illius, et, in homine iniusto, quam etiam iustum fuisse [4])?

XIV. Reliquum est, ut iam illum natura ipsius

1) materiam. 2) ∾ *postremum.* 3) ∾ additur: *illum.* 4) *abest* fuisse.

Clodii mors] Ita Palimps. ceteri libri *P. Clodii mors.* Idem.

punitor] Palimps. *poenitor.* veterem orthographiam vocis a themate *poena* derivatam servavi etiam in ceteris locis. Id.

materiem] Ita plerique Codd. Lag. etsi palimps. *materiam.*

postremo] *postremum* Palimps. solus et Peyron. sed praestat alterum, ne iungamus *accusatorem postremum.*

tyrannum] i. e. Clodium, qui unus tum erat in republica tyrannus. Hoc debilitatur aliquantum adiecto pronomine *illum* quod unus habet Palimps. recepitque Peyron. Aliis fortasse placebit. Mox *fuisse* cum multis Lag. adiicit Palimpsestus.

consuetudoque defendat, hunc autem haec eadem coarguant. Nihil per vim umquam Clodius; omnia per vim Milo. Quid ergo [1]), iudices? quum, maerentibus vobis, urbe cessi; iudiciumne timui? non servos, non arma, non vim? Quae fuisset igitur iusta caussa [2]) restituendi mei, nisi fuisset iniusta eiiciendi? Diem mihi, credo, dixerat; multam irrogarat; actionem perduellionis intenderat; et mihi videlicet in causa, aut mala, aut mea, non et praeclarissima, et vestra, iudicium timendum fuit. Servorum et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me obiici nolui. Vidi enim, vidi, hunc ipsum Q. Hortensium, lumen et ornamentum rei publicae, paene interfici servorum manu, quum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc quum

1) ∾ *ego*. 2) causa iusta ∾ omittitur *iusta*.

XIV. *quid ergo*] *quid ego* 43. Lag. qui multis in locis cum melioribus facit. *Ego* placet Peyronio; non item mihi: *ego* si dixisset, hic, loco prorsus non suo, antequam pervenisset ad v. *timui*, in auditore exspectationem movisset, fore ut quamdam sui cum Clodio ac Milone comparationem institueret. In seqq. *cessi* — *non* ne unus quidem Lag. et Peyron. sanus est. Certa tamen est meliorum lectio.

quae fuisset igitur iusta caussa] „Perperam Ernestus contra fidem librorum plerorumque addidit verbum *iusta*, id requiri putans contrario, causa *iniusta*. Refellitur locis similibus c. 15. *quae tum non modo occasio, sed etiam causa*. c. 16. *quem loco, quem tempore* cet. *hunc iniquo loco, alieno tempore*.“ Huldricus. Eo magis suspectum videri poterat isthoc supplementum, quod ita, ut ab Ernesto Schützioque collocatum est: *causa iusta*, revera admodum languet. Nunc vero quum Bavarici et Lag. 13. sec. m. accedat auctoritas meliore id loco ponentium, Italos sum secutus.

esset una, ita est mulcatus [1]), ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est; huic ego vos obiici pro me non sum passus; haec insidiata Pompeio est; haec istam Appiam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit; haec, haec eadem, longo intervallo, conversa rursus est in me, nuper quidem, ut scitis, me ad regiam paene confecit. Quid simile Milonis? cuius vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius quum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. Quem si interficere voluisset, quantae quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, quum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet,

1) multatus.

cum hoc quum esset una] Aures offendere non poterat nec iudicum, nec Ciceronis ita, ut probabile est, pronunciatum: *cum hoc quom esset.* v. supra ad c. 1. in fine. In praecedentibus notandum omnes Lagomars. habere corrupte *mihi iudices.* „Fucum librariis fecit sigla *uid.*“ Peyron.

mulcatus, mulctatus, multatus] Ubicunque significatur *αἰκισθείς*, unus alterve codex priorem scripturam offerre solet, quam cum Garatonio veram iudico. v. Forcellini s. h. v. Lips. ad Tacit. Ann. I. 32. Oudendorp. ad Appul. Met. p. 241.

Appiam] *viam* addunt 1. 3. 7. 24. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 81. 85. 88. 95. Lag. abest a Taur. utroque.

haec, haec eadem] Recta haec lectio a nullo tamen Lag. et Peyr. confirmatur.

Potuitne?] v. Beier. *Excurs.* XI. *ad Offic.* I. 11. p. 336. Hanc interrogandi rationem per part. *ne*, ut exspectetur affirmatio, tum praecipue locum habere censeo, ubi ne suspicari quidem possumus eum, quem interrogamus, negaturum esse id, quod proponimus: tum ubi (sicuti hoc potissimum loco) aliquoties repetitum *nonne* orationem incitatam nimis impediret.

iure se ulcisci? potuitne, civi [1]) egregio, et viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, quum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? potuitne, L. Caecilii, iustissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo? potuitne illo die, quum est lata lex de me? quum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam lubens [2]) agnovisset: ut, etiam si id Milo fecisset, cuncta civitas eam laudem pro sua vindicaret?

XV. At quod erat tempus [3])? Clarissimus et fortissimus consul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus illius publici

1) cive. 2) libens. 3) Atqui erat id temporis clariss. ∾ *Atqui id erat tempus. Clarissimus.*

civi] Ita omnes Codd. recens collati. v. Priscian. 7. 14, p. 337. Krehl. Mox *et viro fortissimo* omittunt complures Lagomars. habet Taur. uterque. *Celii* 4. 65. 67. *Coelii* 75. Lag.

XV. *At quod erat tempus*] „Lagomarsinius usus editione Gronovii legebat *Atqui erat id temporis*, quare adnotabat: *Atqui*] *At quod* 18. var. *Atque* 43. 97. *Id* omitt. Codd. praeter 21. var. omittunt etiam Edd. 67. 68, 75. 88. *temporis*] *tempus* Codd. praeter 8. et 21. var. 67. 68. 69. 75. 88. — *Atque erat tempus* Taurin. 2. Ignota, aliique. *Atque erat id temporis* Taurin. 1. *temporis* occurrit in perpaucis iisque obscurissimis Codd. Idem dic de pron. *id* quod tamen facile agnosci potest in lect. *at quod erat*, quum fortasse esset in archetypo ATQUIIDERAT. Quare vel legendum est *Atqui erat tempus* vel *Atqui id erat tempus*, quod praeopto; ita Plautus *Pers.* 4, 2, 8. *id erit adeundi tempus.*" Peyron. Mihi tamen istud *Atqui id erat tempus* prae Garatoniana ratione nimis videtur frigere. Mox *tribuni plebei* dedi cum Gar. cfr. Fragm. Legis Serviliae p. 98. etsi reliquis in locis v. c. C. 16. vulgaris in libris remansit forma.

consensus, restitutor salutis meae; septem praetores, octo tribuni plebei [1]), illius adversarii, defensores mei; Cn. Pompeius auctor et dux mei reditus, illius hostis; cuius sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam secutus est; qui populum Romanum est cohortatus [2]), qui, quum decretum de me [3]) Capuae fecit, ipse cunctae Italiae cupienti, et eius fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent: omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei: quem qui [4]) tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemiis cogitaretur. Tamen se Milo continuit, et P. Clodium in [5]) iudicium bis, ad vim numquam vocavit. Quid? privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Clodio, quum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper vero quum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus rei publicae partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, iudicii laqueos declinantem, iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales! fuit? Quum se ille fugiens in scalarum tenebras [6]) abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua invidia, Antonii

1) plebis. 2) cohortatus est. 3) de me decretum. 4) quem si qui. 5) ad. 6) ∾ *tenebris.*

tenebras] *tenebris* omnibus fere suis Codd. firmatum recepit Peyron.

vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? quum ille in saepta [1]) irrupisset, gladios destringendos, lapides iaciendos curasset, dein [2]) subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim, vos, et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet?

XVI. Quem igitur cum omnium gratia noluit: hunc voluit cum aliquorum querela; quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? Praesertim, iudices, quum honoris amplissimi contentio, et dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita cupiditas consulatus,) omnia non modo, quae reprehendi palam, sed etiam obscure quae [3]) cogitari possunt, timemus; rumorem, fa-

1) vi in septa. 2) deinde. 3) quae obscure.

ille in saepta irrupisset] Singuli fere Codd. Peyronio laudati alias corruptelas exhibent, quas enumerare longum est, quum certa sit lectio sic constituta a Garatonio. Mox Peyron. *curavisset* pro *curasset*.

XVI. *sollicita cupiditas*] *sollicita sit cupiditas* etiam 43. Lag. qui saepius cum familia Germanicorum codicum consentit.

obscure quae cogitari] Ita plerique Lag. et Peyr. „Ernestus prope nimis parum esse *cogitari* dicit, quum etiam quae recta sint, cogitari possint. Sed iis *quae reprehendi palam possunt*, recte opponuntur, *quae obscure cogitari possunt*, quo loco de iis quae recta sunt propter ipsum contextum et coniunctionem cum reliquis sermo esse non potest." Hac Huldrici observatione sedecim annis ante quam nasceretur, iugulata est mira illa Schuetzii coniectura *castigari*.

rumorem, fabulam fictam, levem] Tertii adiectivi *falsam* sedes incerta quum sit in Mss. (nam *falsam fictam* 2. 11. sec.

bulam fictam, levem [1]) perhorrescimus; ora omnium atque oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt. Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus et facinus prae se ferens et confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? Quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, qui se interfecto Milone regnaturum putaret? Quid? quod caput est [2]) audaciae, iudices: quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem? In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut praeclari, aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita iudicia poenamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret?

XVII. Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te, Q. Petilli, appello, optimum et for-

1) falsam ∾ *fictam*, *falsam*, *levem*. 2) caput audaciae est. ∾ suspectum *audaciae*.

m. Lag. *fictam falsam levem* Taur. 1. uti Bavar.) de glossemate vix dubitari potest. Neque tamen ita accipiendum, quasi per σύγχυσιν nescio quam *levem* ad *rumorem* sit retrahendum: imo *fabula ficta* una est notio, et *levem* ad utrumque pertinet nomen substantivum. De v. *fabula ficta* cfr. supra Cap. 3. *In Verr. Act.* 2. L. 3. c. 79. Wyttenbach. *Polymath.* 3. p. 302.

in recte factis] Plerique Lagomarsiniani omittunt *in*: hinc in proclivi erat *recte facta* corrigere. v. Gar.

caput audaciae] λογικὸν παρόραμα, leve tamen, *audaciae* retinentes ab oratore ipso commissum fateamur, necesse est.

tissimum civem: te, M. Cato, testor: quos mihi divina quaedam sors dedit iudices. Vos ex M. Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, et audistis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Quum ille non dubitarit aperire, quid cogitaret, vos potestis dubitare, quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? Dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. Vidit, necesse esse Miloni, profisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die. Itaque antevertit. At quo die? quo, ut ante dixi, fuit [1]) insanissima concio, ab ipsius mercenario tribuno plebis concitata [2]); quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, numquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit. Quid? si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium

1) *abest* fuit. 2) est concitata.

XVII. *dubitarit*] Scribendum esse vidit etiam Schuetzius. *cogitarit* frustra defendit Moebius. v. de hoc loco disputantem Ellendt. ad Cic. *Brutum* pag. 32.

Lanuvini] Lanuvium hodie *Città Lavinia* v. Nibby *Viaggio ne' Contorni di Roma* T. 2. p. 186. Lavinium hodie *Pratica.* ib. p. 245. *Lanivium* pro *Lanuvium* scriptum vidimus supra in Inscript. dictatoris Lanuvini. Sic et alia eodem in oppido exstat: *Iunoni S. M. R. Q. Olius Princeps Redemptor Oper. publicorum Lanivinorum. De S. D. D.*

fuit insanissima] Sic et Taur. 1. qui interdum cum melioribus conspirat.

adproperaret] Unus 7. Lag. *approperasset:* iniuriam facit Peyron Ernesto, idem hoc παραδιόρθωμα ei tribuens.

Milo ne suspicari quidem potuit? Primum quaero, qui scire potuerit? Quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. Ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset: [omnes scilicet Lanuvini[1]).] Milo de Clodii reditu unde quaesivit? Quaesierit sane. Videte, quid vobis largiar. Servum etiam, ut Q.[2]) Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius Schola[3]), Interamnas, familiarissimus, et idem comes P. Clodii: cuius iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat, et Romae, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse; sed subito ei esse

1) *haec sine uncis.* 2) *abest praenomen.* 3) cognomento Scola.

omnes scilicet Lanuvini] Weiskio quoque haec suspecta erant. ab uno Brit. abest *omnes*, ab Editione seculi XV. et ab Ed. Aldi senioris *scilicet*, quod tamen non nimis urgeo, quum in Iuntina v. c. sic excusum sit: *omnes. s. Lanuvini.*

meus amicus] Amaram ironiam in hoc agnoscit Moebius; non ego: levissima sane est, qua significetur, se propterea ne succensere quidem Q. Arrio, quod fabulam fictam, nulli damno Miloni futuram protulerit: Cfr. de hoc usu v. *amicus meus*, *de Oratore* II, 60, 244. et ibid. 62, 254.

Schola] Ita 8. 86. 97. *Stola.* 9. Ceteri Codices *Scola.* Editiones etiam habent *Scola* praeter 67. 92. 95. Libri plerique addunt alii *cognomento*, alii *cognomine*. *Schola* scribunt Asconius, Codd. Germani, Romana, Ignota. Adiecticium *cognomento* vel *cognomine* non agnoscunt Asconius, Colon. Erfurt. et Codd. 7. 9. Lagomars. Peyron. *cognomento*, cuius vocabuli falsitatem arguit etiam διττογραφία *cognomine*, ab iis additum videtur, qui caverent, ne *Schola* vel pro nomine proprio loci (*Scholâ* scil. nescio quâ oriundus) vel pro appellativo haberetur.

nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum; itaque Romam repente constituisse proficisci. Dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.

XVIII. Videte, iudices, quantae res his testimoniis sunt [1]) confectae. Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe [si ille] obvius ei [2]) futurus omnino non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium,) scitis, iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. Me videlicet [3]) latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant. Iacent suis testibus hi [4]), qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro audisset, fuisse rediturum. Respiravi; liberatus sum; non vereor, ne,

1) sint. 2) quippe; ei obvius. ∾ *quippe; obvius ei.* 3) Videlicet me. 4) ii.

XVIII. *Confectae sunt*] Ita libri omnes. Excipe 25. sec. m. 43. 86. 73. 92. qui legunt *confectae sint.* Lag. Nostram lectionem confirmant uterque Taurin. Rom. Ignota. Plerique tamen libri ordine inverso exhibent *sunt confectae.* Peyr. Sic omnino et Iuntina, quocirca hunc ordinem praetuli.

quippe [si ille] obvius ei futurus] Sic omnes quoque Lagom. codices praeter 86. qui dat *quippe si ei ille:* plures etiam *ei obvius.* Garatonii lectionem correctoribus Italis omnino deberi, manifestum est. Unice mihi placet Goerenzii ratio a Schützio recepta: *quippe; ei obvius,* nisi quod cum Gar. *obvius ei* praetulerim. ,,Vulgo ex Edd. vett. quibusdam *quippe qui* editur, quod eo certius in vitio ponendum est, quum Cic. ubique *quippe qui* cum coniunctivo iungat." Goerenz. ad *Cic. de Fin.* 4, 3. p. 429.

hi] Sic necessario scribendum. Lambinum Garatoniumque melius fortasse scribentes *iacent hi suis testibus*, propter Codicum in alterum ordinem consensum, Peyronium imitatus, secutus non sum. *Igitur* ab omnibus Lag. et Peyr. libris

quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse. Nunc persequar cetera. Nam occurrit illud: „Igitur[1]) ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus.“ Si quidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. Video enim, illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una

1) *deest* Igitur.

abest: sed satis firmatur a Germanicis.

Si quidem] Iam diu ante Schellium, Schützium ac Garatonium Huldricus verissime de hoc loco ita iudicavit: „Minus recte verba *siquidem exiturus* cet. referuntur ad antecedentia, ita ut *siquidem* significet *quandoquidem*. Nam hac ratione illud pro certo sumeretur, quod ipsum est probandum. Dicit enim ex testimoniis iis, quae in fine capitis antecedentis attulit, quibusque adhuc usus est, ut Milonem suspicione liberaret, eum de interficiendo in itinere Clodio cogitasse, ab altera etiam parte pro Clodio effectum esse, tale consilium ne in eo quidem fuisse. Hanc adversariorum calumniam explicat verbis illis *ne Clodius — mansurus*. Iam quae sequuntur maiore interpunctionis nota ab antecedentibus seiungenda et Ciceroni ipsi sunt vindicanda. Ille scil. respondet, Sane ita esset, *siquidem exiturus* cet. i. e. si tamen non alia ratione constaret Clodium ad caedem Milonis fuisse exiturum. Minime enim concedit testimoniis illis ipsum etiam Clodium quodammodo adiuvari. Simili ratione *siquidem* adhibetur *pro Flacco* c. 7. *O morem praeclarum, quem a maioribus accepimus: siquidem teneremus.* II. Catil. 4. *O fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam eiecerit.* Ita illorum verborum ratio et coniunctio cum ceteris constabit, et quae sequuntur, *Video enim* cet. recte ad ista referuntur. Quorum omnium rationem quum non perspiceret Ernestus, locum corruptum iudicavit, lacunam esse suspicatus.“ — Ceterum ubi *si quidem* hunc primum suum significatum retinet, equidem divisim scribo, ut cap. 10. *si quidem eo die Romam venturus erat. Animam efflare*, ut hoc quoque adiungam Garatonii adnotationi, Graecis etiam est ψυχοῤῥαγεῖν. v. c. Eurip. Alcest. 20.

fui; testamentum simul obsignavi cum Clodio; testamentum autem palam fecerat, et illum heredem, et me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique ei nuntiabatur?

XIX. Age, sit ita factum. Quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? Quid afferebat festinationis, quod heres erat [1])? primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque, ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit: sic Miloni, quum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum atque exspectandum fuit. Noctu, insidioso et pleno latronum in loco occidisset. Nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et re-

1) quid afferebat festinationem? Quod heres erat? ∾ *quid afferebat causam festinationis? Quod* —.

XIX. *quid afferebat festinationis, quod heres erat?*] Ita dedi cum marg. Cratandr. Moebio ac Peyronio, alteram Garatonii rationem secutis, ex qua, distinctione dumtaxat mutata, retinetur omnium, Coloniensi excepto, codicum lectio. Vocabulum enim *caussa* ita e proximo repetitum, quamvis subtilius cum Garatonio explices, omnino molestum est et id, quod duplex interrogatio ad incitatam orationem confert, tarditate sua rursus tollit. Praestaret sane P. Manutii ratio, si per codices eam cum Schützio recipere liceret. Mox *subsidendum* firmatur ab aliquot Lagomars. *insidioso* probatur etiam Huldrico. *receptator* habent pauci Lagom. plerique *receptor*.

ceptator locus, dum [1]) neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem; deinde ibi [2]) multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam haec timentes in suspicionem caderent; tota denique rea citaretur Etruria. At-

1) quum. 2) ∾ *omittitur* ibi.

dum neque] Sic pauci admodum Lag. ceteri corruptelis foedati sunt. — Huldricus haec adnotavit: „Horum cum iis, quae ante sunt, coniunctionem parum Ernestus perspexit, qui *tum* vel *dein* legendum suadet. Oxonienses C. H. τ. 8, ψ *denique*. Eae sane non sunt rationes diversae; sustinuisset crimen locus; neque solitudo indicasset, neque nox ostendisset Milonem: sed *sustinuisset crimen locus*, quamdiu et quatenus *neque muta solitudo* cet. Ita *dum* accipiendum videtur. Non enim dicitur universe crimen locus sustinere, sed tum futurum fuisse, ut sustineret, si Milo *noctis* ad facinus perpetrandum opportunitatem exspectasset. Ita ne ea quidem mutatione, quam Weiskius (et Schützius) suscepit, pro *dum* rescribens *quum*, opus esse videtur."

deinde ibi multi] *deinde multi.* unus 18. sec. m. Reliqui *deinde ubi multi* Lag. In Coloniensi quomodo factum sit, ut omitteretur *ibi* s. *ubi*, optime perspicis ex illo Lagomarsinii, in quo a secunda manu deletum est: corruptum videbant *ubi*, incommodum erat *ibi*, non minus quam Italis criticis. Et inepta sane sententia *multi violati ibi*, *ibi bonis expulsi.* At quomodo, quaeso, non vidit Garatonius, *ibi*, quod rectissime habet, pertinere ad sequentia *in suspicionem caderent*, dictumque esse per facillimam βραχυλογίαν pro: *multi*, *ibi si caedes facta esset*, — *in susp. caderent?*

multi etiam haec timentes] „Plerique Lag. et Peyr. *haec etiam.* Sane vox *etiam* afficit pronomen *haec*, ut sit *multi paria damna timentes;* quare recte se habet lectio plerorumque librorum *haec etiam;* quae ceteroquin tollit incommodum hiatum *etiam haec.* Nihil tamen muto. placuit enim illa lectio Ernestio, Garatonio, aliisque summis viris: scire tamen percuperem, quemnam ordinem prae se ferant Colon. Erfurt. Bavar. ceterique praestantiores libri." Peyron. Mihi vero indubitatum videtur, *etiam* pertinere ad v. *multi:* non solum multi, qui revera illa perpessi erant, sed multi etiam timentes tantummodo haec eadem damna.

que illo die certe Aricia rediens devertit Clodius ad se in Albanum [1]). Quod ut sciret Milo, illum Ari-

1) Clodius ad Albanum.

devertit] Plures antique *devortit*, quod recepit Peyron. *ad se* nullus habet recens collatorum.

quod ut sciret cet.] Versamur iam in loco, quem conclamatum reliquit etiam Peyron. Unus Lag. 43. quem iam novimus et bona et singularia quaedam habere, novam certe corruptelam hanc praebet: *Quod* ubi *sciret illum Milo Ariciae fuisse suspicari non debuit.* Audiamus primum Huldricum. „Libri plerique habent, *quod nisi sciret Milo*, quod recte mutatum fuit a Graevio et Ernesto. Quod autem dicit Ernestus, Ciceronem pro *nisi sciret* potius dicturum fuisse, *si nesciret*, id alienum esse videtur. Tota enim argumentationis ratio ex eo pendet assumto, Milonem certiorem esse factum de itinere Clodii, non ex eo, quod omnem rem ignoraverit. Minus etiam Ernesti iudicium probatur in eo, quod putat verba *suspicari debuit* non bene intelligi ex antecedentibus; non enim video, cur lucem haec ex antecedentibus desiderent, satis per se clara, quum de eo qui in itinere faciendo villam suam praetereat, facile omnes suspicentur sua sponte, fore ut in eam devertat. Ea quidem argumentationis ratio satis perspicua esse videtur, ut Milonem dicat, si Clodio insidias struere vellet, aut noctem fuisse exspectaturum, aut eum aggressurum, antequam in villam suam devertisset, quum facile ibi commoratus insidiantis spem frustrari potuisset. Fortasse Ernestum illud *tamen* quodammodo offendit. Id vero aliquando ponitur pro *saltem*, ita ut ad integram sententiam quaedam sint supplenda. Hoc loco v. c. supplendum erit, *etsi* non certo sciret Milo, suspicari *tamen* debuit. Ita in Or. *pro Sex. Roscio Am.* c. 3. *quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti*, ubi illud *tamen* eam vim habet, *quamquam* non maxima fuerit culpa, quam secuti sint, *aliquam certe* esse secutos. De ea significatione partic. *tamen* cfr. Heusing. ad Cic. *de Off.* I, 12, 4. Quod quum ita sit, nemo tamen facile suspicabitur, ea ellipsi opus non esse, si in superioribus lectionem antiquam *quod nisi sciret Milo* servemus, alia mutatione suscepta, ut oppositionem illam in contextu habeamus. Fieri enim aliter non potest, quin Cicero hoc loco aperte dicat, se iam id concedere, quod supra c. 17. concedere noluerat, Milonem Clodii iter haud ignorasse, e

ciae fuisse [1]), suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quae viam tangeret, deversurum. Cur neque ante

1) ∾ *quod nisi sciret Milo* [*illum Ariciae fuisse*].

quo ipso, ut diximus, omnis argumentatio pendet." — Mihi quoque et sanissima, neque adeo difficilis videtur lectio optimorum librorum Germanicorum, sicque fere explananda: Quemadmodum omnes iam scimus, illo die Aricia rediens Clodius, ut consentaneum prorsus erat, devertit ad se in Albanum. Nesciebat tum quidem Milo, eum Ariciae fuisse, quum ne suspicari quidem posset, adversarium suum fore eo die in via (c. 17.). Sed ut cum maxime concedamus, ut iam antea (c. 17.) dicis caussa fecimus, Milonem utique scisse, illum Ariciae fuisse, simul suspicari *tamen* (id est, certe, sane, omnino, profecto, procul dubio, *doch wohl, allerdings*) debuit, Clodium — ad villam suam deversurum; ideoque ante occurrere etiam debuit. Hoc vero neutiquam fecit Milo: sed alibi caedes est facta, loco longe minus insidiis opportuno: ergo Milo facinus istud meditatus non est. Varie turbatum est propter ignoratum verum, qui h. l. obtinet, significatum particularum *ut* pro *utut*, *tamen* pro *certe*, uti haec accipienda est etiam *pro Caecina*. c. 3. Hinc autem factum, ut alii pro *ut* scriberent *nisi*, quo *tamen* de more esset *attamen, nihilominus, dennoch*; alii vero, quemadmodum 43. Lag. pro *ut*, *ubi* et pro *tamen*, *non*: quod quidem sensu caret, nisi per interrogationem efferatur; idque sibi voluisse eruditum illum librarium suspicor. Priore vero illo *παραδιορθώματι* plerique decepti sunt, donec Garatonius doceret, cum *nisi sciret* stare non posse *illum Ariciae fuisse*. At hoc ipsum, nullam glossematis suspicionem quum praebeat per se spectatum, alteram lectionem *Quod ut sciret* sinceram esse demonstrat. *Quod* autem coniunctionis caussa praemissum, ut in *quod si*, *quod tamen*, *quod utinam*, aliisque apud Ernestium Ind. v. *quod* et Forcellinum eod. voc. qui simile *Quod ut* e Plinio laudat L. 18. 23. cfr. Beier. *ad Off.* T. 2. p. 61. et *de Invent.* 2, 2. *quod quoniam*, non est, cur quemquam nunc offendat. Mox in illis *ne ille in villa*, pauci iique omnes sec. man. habent *ille. constare*, *iudices*, *omnia* Gar. de coniectura, ut videtur. *fuisse odium* omnes praeter 4. 43. Lag. ubi iterum vides 43. cum Bavarico conspirare ut et in hoc: *nullum huius in illum* etc.

occurrit, ne ille in villa resideret: nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?

Video adhuc constare omnia, iudices [1]): Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere, illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis; odium fuisse illius in hunc acerbissimum, nullum huius in illum [2]); consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellenda; mortem ab illo denuntiatam Miloni et praedictam palam, nihil umquam auditum ex Milone; profectionis huius diem illi notum; reditum [3]) illius huic ignotum fuisse; huius iter necessarium, illius etiam potius alienum; hunc prae se tulisse, se illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturum; hunc nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem exspectandam, illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

XX. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri

1) ∾ *iudices omnia.* 2) in illum huius nullum. 3) ∾ *reditus.*

reditum] *reditus* (Gar. Moeb. Peyr.) Bavar. 6. pr. m. 8. 20. 23. 43. 54. 65. 71. 72. 73. Lag. Nihilominus falsum est: *nam Clodium fore eo die in via Milo ne suspicari quidem potuit:* ergo etiam *reditus* eius Miloni prorsus ignotus erat: iter Clodii ubi scisset, *reditus diem* ignorare potuisset. Manifesto a librariis accommodatum fuit tum ad v. *profectionis*, tum ad v. *illius.* Mox *nocte* perperam habent plerique, non tamen omnes Itaici nuper excussi.

tandem fuerit aptior. Id vero, iudices, etiam dubitandum et diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur [1]) valentium, edito adversarii atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum delegerat [2])? An in eo loco est potius exspectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, iudices, ipsa: quae semper valet plurimum. Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, quum alter veheretur in rheda, paenulatus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, quum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa subito: cur? vesperi: — quid necesse est?

1) versabantur. 2) elegerat.

XX. *versabatur*] Ita 2. 10. 11. Lag. et Taurin. 2. *versabantur* habet Pompeius Grammaticus ed. *Lindemann*. p. 203. *edito*. 13. sec. m. fortasse etiam 11. reliqui omittunt.

quum alter veheretur] „Minus recte ab his verbis novam incipit periodum Weiskius, ea cum sequentibus coniungens. Merito ita exspectes, ut, alter quoque quid fecerit eadem orationis forma explicetur, *alter equo veheretur* cet. a qua tamen discedit in verbis *Videte nunc illum*. Illud *alter* locum suum melius tuetur, si coniunctum accipias cum antecedentibus: *si haec — picta videretis — — alter veheretur* cet. Apparet enim iam in pictura, eum nihil mali cogitasse. Iam vero pergit ostendens, cur id manifesto appareret, quum summa sint in eo rei gerendae impedimenta.“ Huldricus.

subito: cur] De nullo inter Ciceronem atque adversarium

— tarde: qui convenit, id praesertim temporis? Devertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? Sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspiceret? Millies in ea fuerat. Quid ergo erat? Mora et tergiversatio. Dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI. Age, nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore; tum sine ea. Numquam non [1]) in rheda; tum in equo. Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam quum in castra Etrusca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, et ancillarum greges. Ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas duceret, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum

1) ∾ *nisi.*

colloquio cogitandum, (quae Graevii erat sententia) sed omnia Ciceroni ipsi tribuenda. Qui postquam rem gestam explicare coepit verbis illis *egredientem e villa, subito*, ipse iam quaerit premens adversarium *cur?* — cui quaestioni quum non respondeatur, ipse rem gestam explicare pergit *vesperi* scil. egredientem e villa. Id quoque mirum sibi dicit videri, interrogatione subiuncta, *quid necesse est?* nempe vesperi egredi. Porro narrationem continuat, *tarde* egredientem. Ei quoque rei interrogatio subiungitur, *qui convenit?* Huldricus de Bremii sententia.

in Alsiensi esse] Cratandrina addit glossema: *procul inde*, et in marg. *villa procul inde.*

XXI. *nunquam non in*] *nunquam nisi in.* cum Bavar. 7. 13. sec. m. 43. Lag. Taur. 1.

neminem nisi ut] Hanc lectionem recte exposuit etiam Huldricus, adnotans praeterea, immerito Ernestium dici *nisi* spurium existimasse. „Ipse quidem coniunctionem *nisi* damnare non potest, quam explicando vimque eius aperiendo vindicavit. Fortasse in verbis Ernestii nisi *videtur esse spurium* excidit: *Heumanno.*“ Mirum est Schützii iudicium: „Mihi quidem excidisse videntur verba

esse diceres. Cur igitur victus est? Quia non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia, quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec vero sic erat umquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. Semper ille, et quantum interesset P. Clodii, se perire, et quanto illi odio esset, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis praemiis propositam et paene addictam sciebat, numquam in periculum sine praesidio et sine custodia proiiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum Martemque communem; qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit, et perculit ab abiecto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis; qui quum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitavit; in quos incensos ira, vitamque domini desperantes quum incidisset, haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur eos manumisit? Metuebat scilicet, ne indicarent, ne dolorem perferre non possent, ne tormentis cogerentur, occisum esse a servis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? Quid quaeris? Occideritne? Occidit. Iure, an iniu-

quaedam post *nisi*, ut Cicero scripserit, *tum neminem nisi servos armatos, ut virum* cet. Nemo credet. Singularis est Taur. 1. lectio *deveheret* pro *duceret*.

semper ille] negligentiam etsi levem in hoc *ille* Ciceronis ipsius, quam glossema agnosco. Durum enim et nimis exile: *semper et quantum*.

paene addictum] Verbum est illud legitimum Praetoris, neque cum Moebio cogitandum de *hostiis neci addictis*.

ria? Nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quaestio est, iuris in iudicio.

XXII. Quod igitur in causa quaerendum est, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit praemiis: nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato, dixitque [1]) in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benivolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? Etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine et vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit. Quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt [2]) conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus mo-

1) ∾ *et dixit.* 2) fuissent.

XXII. *fuerunt*] Sic etiam Lag. plerique.

quod minus moleste ferat] „Ernestus leg. suspicatur *quo minus*, ut sit, propter quod minus moleste ferat mala sua. Sed in tali sententia *malorum* nomen aut simile quid vix videtur potuisse omitti. Vulgata recta videtur, et mutatione opus non est. Sententia enim haec est, nullum molestiae tuae et aegritudinis tantum habet solatium, quantum hoc unum. In qua sententia illa *nihil*, *quod* optime sibi respondent. Huldricus Progr. 1. Nunc quoque Ernestum probamus haec explicantem, non coniicientem *quo*, quod Weiskius est secutus. Dixisset, *nihil habet in his malis*, *quod magis gaudeat*, nisi *gaudii* nomen ab hac Milonis conditione alienum putasset. Quum plurimis ille premeretur mole-

leste ferat, quam, etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum. Sed quaestiones urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? Rogas? De P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? Ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis nulla quaestio est in dominum [1]), nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime deos accessit Clodius, propius quam tum, quum ad ipsos penetrarat: cuius de morte, tamquam de caerimoniis violatis, quaeritur. Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum [2]), et dominis morte ipsa tristius. In reum de servis ac-

1) ∾ *nulla lege quaestio est in dominos.* 2) *additur:* esse.

stiis, *quod minus moleste ferat,* inquit. Idem Progr. II.

nunc] i. e. nunc demum, non re recenti. v. finem Capitis. *Nunc* nullus omittit Lagomarsinianorum et Peyron: neque abesse debet.

de servis nulla quaestio est in dominum] Retinui hanc lectionem omnium fere Codd. etiam Lag. et Peyron, nam mox iterum habes *maiores nostri in dominum*, neque vero in his grata esset variatio. *lege* quod habet Erfurt. et Lamb. Ed. pr. e glossemate mihi quidem videtur profectum. *proxime Deos* habent plerique Lag. Vide Beier. ad Orat. in *P. Clod.* p. 45.

non quia non] *non quin non non* 43. Lag. — *non quin non posset*: hanc scripturam, quam post Graevium secutus est Ernestus, esse vitiosam, minime dubium videtur. Saltem ita alterum illud *non* delendum fuerat, quum negatio iam coniunctione *quin* contineatur. Verum structuram *non quia*, — *sed quia*, quam Ernestus damnaverat, Ciceroni usitatam vindicat Goerenz ad IV. *de Fin.* 23. p. 499. — Huldricus. Mox vulgatam olim lectionem *indignum esse et domini* habent Lag. et Peyron. omnes.

cusatoris quum quaeritur, verum inveniri potest? Age vero, quae erat, aut qualis quaestio? Heus tu, Rufio [1]), verbi causa, cave sis mentiaris. Clodius insidias fecit Miloni? „Fecit.“ Certa crux. „Nullas fecit.“ Sperata [2]) libertas. Quid hac quaestione certius? Subito arrepti [3]) in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi [4]) centum dies penes accusatorem quum fuissent ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius?

XXIII. Quod si nondum satis cernitis, quum res ipsa tot tam claris argumentis signisque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse: recordamini, per deos immortales! quae fuerit celeritas reditus eius; qui ingressus in forum, ardente curia; quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etiam publicis praesidiis et armis; neque his tantum, verum etiam eius po-

1) Ruscio. 2) ~ *parata.* 3) *abrepti* ~. 4) Hic.

Rufio] Sic unus 13. s. m. Lag. ceteri corrupti.

verbi causa, cave sis mentiaris] Plerique Lagomars. legunt *ubi causa* quod ex compendio *i u* (*verbi* et *ubi*) natum est. Iidem, si excipias 13. s. m. 6. var. carent additamento *cave sis mentiaris.* Peyron.

sperata] Heumanni coni. *parata* non necessariam esse, bene docet Moebius.

arrepti] *abrepti* etiam 20. 24. Lag.

hi centum] Sic Iunt. Cratandr. Graev. Gar. Schuetzius vero *Hic centum.*

testati, cui senatus totam rem publicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi Romani arma commiserat; cui numquam se hic profecto tradidisset, nisi causae suae confideret; praesertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine ratione certa causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianae, non modo inimicorum Milonis sermones et opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum? Negabant eum Romam esse rediturum. Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum: arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, quum sanguine inimici explesset odium suum; sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, quum suo periculo salutem rei publicae attulisset, cederet aequo animo le-

XXIII. *metuenti*] *intuenti*. 1. 3. 9. 20. 24. 54. 68. 69. 88. *tuenti* 23. *Lag.*

etiam imperitorum] *etiam* in multis Lag. desideratur.

negabant] *qui negabant*. 1. 3. 7. 9. 54. Lag. Sed uterque Taur. omittit *qui*.

cederet aequo animo legibus] „Ernestus *legibus* uncis inclusit, quum e seqq. apparere putet, *cedere* nihil aliud esse posse quam abire. Sed nulla sane est mutandi necessitas. Nam *legibus cedere* maxime aptum est reliquis, cum *suo periculo salutem reipublicae attulisse* dicatur. *Legibus* enim Milo *cede-*

gibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse servasset. Multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet. Miseros interdum cives, optime de re publica meritos! in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt: quae certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereque defendere.

XXIV. Quid? quae postea sunt in eum congesta, quae quemvis, etiam mediocrium [1]) delictorum conscientia perculissent, ut sustinuit? dii immortales! sustinuit? immo vero ut contempsit, ac pro nihilo putavit, quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negli-

1) ∾ *in mediocrium.* ∾ *quamvis etiam m. d. conscientiam.*

bat eo ipso, si caede commissa sua sponte in exilium proficiscebatur, quum caedes inimici vel pessimi quoque civis legibus non concederetur arbitrio hominis privati." Huldricus.

illa portenta] scil. *verborum*, quae statim afferuntur *erumpet — bellum patriae faciet.* Falso Heumannus *illa portenta* interpretatus est sic, quasi significaret *eius generis consceleratos atque exsecrabiles homines.* Schuetz. Recte: cum Heumanno Garatonius quoque non nimis bene videtur cepisse; etsi obscurior est eius adnotatio.

XXIV. *mediocrium delictorum conscientia*] Valde mihi quoque arridet Ernestii coniectura *in mediocrium* cet. a Schuetzio recepta: sed codices sequendos constitui. Neque vero caret omni defensione prior vulgata: *quae quamvis etiam mediocrium delictorum conscientiam* cet. quum simili προσωποποιΐᾳ in *Parad.* 2. dixerit: *te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum.*

gere potuisset. Scutorum, gladiorum, [frenorum [1])], sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. Nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus; arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi; domus in clivo Capitolino scutis referta [2]); plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum: haec non delata solum, sed paene credita: nec ante repudiata sunt, quam quaesita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeii: sed dicam, ut sentio, iudices. Nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est res publica. Quin etiam audiendus fuerit popa Lici-

1) frenorum *sine uncis.* ∾ *framearum.* 2) domum — refertam.

gladiorum [frenorum] sparorum] *Hispanorum* 8. 13. 25. *Ispurorum* 3. *frenorum ispurorum* 1. *frenorum spanorum* 23. *frenorum* (omisso *sparorum*) plerique libri. Lag. In eo ergo maxime dissentiunt libri, quod alii *frenorum*, alii *sparorum*, alii demum utramque vocem exhibent. Sed quis feret *frenos* inter arma? — Peyron. Nec magnopere sese commendat Garatonianum illud: *gladiorum Hispanorum, pilorumque.* Lambini coni. *framearum* recepit Weiskius. Cfr. etiam Moebium. *frenorum* sane molestum est.

domus — referta] Sic omnes Codd. quos cum Gar. Moeb. et Peyr. secutus sum. Schuetzius dedit Ernestii coniecturam *domum — refertam:* sed ubi in seqq. distinguas *comparatorum: haec non delata sunt* — senties, opinor, vim venustatemque lectionis a nobis servatae.

tota commissa. Quin etiam audiendus fuerit.] Veras has lectiones *tota — fuerit* contra Ernestium vindicat etiam Huldricus iisdem fere rationibus, quibus Garatonius est usus. Ceterum in Gruteri Garatoniique ed. et adnot. est *fuerit audiendus.* Contra ex 6. s. m. 18. 86. Lag. et Schütz. laudatur *audiendus fuerit*, quem ordinem commendant etiam reliquorum corruptelae: *aud. fuit, aud. est.*

nius, nescio qui de circo maximo [1]), servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse, de [2]) interficiendo Cn. Pompeio coniurasse, deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nuntiavit: arcessor in primis: de amicorum sententia rem defert ad senatum. Non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione non metu exanimari; sed mirabar tamen, credi popae; confessionem servorum audiri; vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. Verum [3]), ut intelligo, cavebat magis Pompeius, quam timebat, non ea solum, quae timenda erant, sed omnino omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi et fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat. Tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium, praestantissima virtute virum, timidum suspicari: diligentiam, tota re publica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio, senator inventus est, qui Milonem cum telo

1) nescio quis de circo: 2) se — coniurasse. 3) Veruntamen.

aud. sit: ipsaque sententiae vis inest in v. *audiendus*.

nescio qui de Circo maximo] Ita 13. 18. s. m. 92. *nescio quis* 8. Reliqui *nescio quid*, quod etiam legunt antiquiores edd. Lag. Vulgatae adstipulatur Bavaricus, Codd. Fabricii, Graevii. Mox Schuetz: *se — coniurasse.* cfr. Graevium, in cuius Codd. omnibus recte omittebatur pronomen *se*.

tota republica suscepta] Nullus Lag. et Peyron. firmat Colon. cod. lectionem *pro tota* cet. Sane optimi quique Codd. interdum glossematis inquinati sunt. Cfr. Moebii adnot.

esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis et civis, et viri, fidem non faciebat, ut [1]), eo tacente, res ipsa loqueretur. Omnia falsa atque insidiose [2]) ficta comperta sunt.

XXV. Quod si tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc iam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim iam appello et [3]) ea voce, ut me exaudire [4]) possis) tuas, tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitarunt [5]), si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuventus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, et incredibilis animus, et non unius viri vires atque opes indicantur [6]), si qui-

1) nisi. 2) ∾ *invidiose.* 3) *omittitur* et. 4) audire. 5) dictitant. 6) ∾ *iudicantur.*

ut eo] Ita 2. var. 11. var. 43. (cuius magnum est pondus). Ceteri *nisi eo.* Lag. *nisi eo* postremum defendit Schuetzius.

insidiose] *invidiose* 3. 24. var. *Insidiosa* plerique Codd. Lag. Heumannus et Ernestius scribendum coniiciebant *invidiose;* idemque probabatur Garatonio (haud displicebat Huldrico, receptum est a Moebio): cave tamen, ne credas duobus Lag. Codd. facilis enim est utriusque vocis permutatio, neque adstipulantur praestantiores Codd. Germani. Peyron.

XXV. *exaudire*] Ita Asconius, Libri omnes *audire.* Peyron. Videndum tamen, an nostrorum Asconii codicum tanta sit auctoritas, ut statim sit sequenda. Sic *tuas* idem semel dumtaxat exhibet. Unus 24. Lag. bis.

dictitarunt] Confirmatur a 43. Lag. *dictitarent* 6. pr. m.

indicantur] Ita 1. 3. 7. 9. Lag. *iudicantur* etiam uterque

dem in hunc unum et praestantissimus dux electus, et tota res publica armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi rei publicae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? Quod si Miloni locus datus esset, probasset profecto tibi ipsi neminem umquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi; nullum se umquam periculum pro tua dignitate fugisse; cum ipsa illa [1]) teterrima peste saepissime [2]) pro tua gloria contendisse; tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset, consiliis tuis gubernatum; se a te postea defensum in periculo capitis, adiutum in petitione praeturae; duos se habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret; si tibi ita penitus inhaesisset [3]) ista suspicio, nullo ut evelli modo posset; si denique

1) illa ipsa. 2) ∾ *se saepissime.* 3) ∾ *insedisset.*

Taurin. recepitque Peyronius: neque tamen nimis bene congruit cum illis *in hoc.* Mox Gar. *locus Miloni.*

ipsa illa] Sic Saxon. et 43. Lag. quod praetuli. Saepissime ordo hic elegantior mutatus est in vulgarem, praesertim a Lambino.

saepissime] *se* praemisit Peyron ex Saxon. Bavar. 18. s. m. Lag.

inhaesisset] *iniecisset* 43. *insidisset* 86. pr. m. Reliqui *insedisset.* Lag. Ut dicam, quod sentio, *inhaesisset* scita mihi videtur emendatio corruptelae eiusdem, quae occupat Cod. 43. Lag. vel similis alicuius. *longus morbus* penitus insedit dixit etiam Celsus 3, 1. nec magnum habet momentum Moebii observatio verbo *inhaerere* melius congruere sequens *evelli.* Nam Celsus 7, 5, 2. postquam dixerat, *nihil tam facile in corpus quam sagitta conditur, eademque altissime insidit*: postea verbis *extrahere*, *educere* ipsoque *evellere* sine discrimine utitur. Imo *opinio insidens* a latine loquentibus neque *extrahitur*, neque *educitur*, sed ut consentaneum est, *evellitur.*

Italia a delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade numquam esset conquietura: nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit. Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis 1), quam 2) ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, quum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis,

1) ∾ *amicitiis.* 2) ∾ *quantae.* ∾ *quantae quam.*

nae iste] pr. *iste* satis probabiliter Moebius a Garatonii censuris vindicavit.

et ita consuevit] Fulv. Ursinus hic aliquid deesse putabat. Sane ut nunc sunt verba *is qui* — *consuevit* vix explicari satis apte possunt. Schuetz. Mirum vero iudicium, quum satis apte, puto, exposuerit iam Manutius: *qui hoc habet et a natura et a consuetudine, ut otium salutemque patriae rebus omnibus anteponat.* Si germanice dixisset Cicero *haec eius et natura et consuetudo est*, ne Ciceronianus quidem Schuetzius litem Ciceroni movisset.

in amicis] Garatonio *amicitiis* praeferenti obtemperavit Moebius; non item Peyron; neque ego Codicum auctoritatem deserere ausus sum. Nec persuasit Peyronio mihique Garatonius de praeferendo *quantae ad tempus aptae*, quam κακοφωνίαν ab emendatore profectam haud immerito iudicat Taurinensis criticus. Hoc quoque adde, omnino omnes simulationes ad tempus esse aptas, sed gradu, id est maiore vel minore astutia et calliditate, differre. Hinc rectius dicitur *quam ad tempus aptae.* Fuit tamen, qui mallet *quantae quam ad* cet.

salutaribus] Nihil omnino vetat, quo minus accipiamus, non tam *rebus salutem tibi afferentibus*, quam *rebus cum salute tua coniunctis.* nec probari potest vel Garatonii *salubribus* vel Ant. Augustini Weiskiique *salvis. salutaribus* maius quiddam est, quam *salvis. Salubribus* vero rescribendo nihil omnino lucramur, nam eadem manet ambiguitas, quae inest in *salutaribus.* nec *res salubres*

sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, (qui quam crebro accidat, experti debemus scire,) et amicissimi benivolentiam, et gravissimi hominis fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

XXVI. Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompeium, iuris publici, moris maiorum, rei denique publicae peritissimum, quum senatus ei commiserit, ut videret, NE QUID RES PUBLICA DETRIMENTI CAPERET; quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis; hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exspectaturum fuisse in eius consiliis vindicandis, qui vi [1]) iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est a Pompeio, satis [2]), falso ista conferri in Milonem; qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi a vobis oporteret; ut omnes confitentur, liceret. Quod vero in illo loco, atque illis publicorum

1) ∾ *vel.* 2) *deest hoc* satis.

usitatiorem formulam reputo, quam nostram, quae h. l. Ciceroni placuit, cuius iudicio contenti esse debemus.

XXVI. *qui vi iudicia*] Recepit *vi* etiam Schützius: unus tamen Coloniensis sic habere videtur, quum ne e Lagomarsinianis quidem ulla notetur varietas. Huldricus defendebat *vel.* Mox *satis* repetunt multi recens collatorum.

qui legem tulit] „Ernestus, cui pronomen relativum incommodum videtur, quum ad Pompeium referatur, proxime antecedente Milonis nomine, legendum coniecit *quum legem.* Fortasse tamen lectio antiqua eo magis ferri potest, quum Milonis nomen, licet sit proximum, tamen quodammodo in parenthesi positum sit, et verbis illis *falso ista conferri in Milonem,* modo explicetur quid *iudicatum* fuerit *a Pompeio,* quod *Pompeii* iudicium sententiae omnis caput constituit." Huldricus.

atque illis] Sic etiam 1. 9. 18. 20. 24. 86. 73. 92. Lag.

praesidiorum copiis circumfusus sedet: satis declarat, se non terrorem inferre vobis, (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse, et more maiorum et suo iure, posset?) sed praesidio esse: ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere vobis, quod sentiatis, libere indicare.

XXVII. Nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet; nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. De qua, si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare atque mentiri gloriose liceret. „Occidi, occidi, non Sp. Maelium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem videbatur [1]), in suspicionem incidit regni appetendi; non Ti. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit; quorum interfectores impleverunt [2]) orbem terrarum nominis sui gloria; sed eum, (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset,) cuius nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis no-

1) putabatur. 2) implerunt.

XXVII. *mentiri gloriose*] i. e. falso se accusare gloriosi facinoris. Mirum est Gulielmio hoc in mentem venisse, ut *metiri* putaret legendum. Schuetz.

videbatur] A verbis *amplecti plebem* incipit folium 54. 61. Taurinensis Palimpsesti, ac desinit in verbis *dicere si sibi pecuni*... Iam Palimpsestus legit *videbatur*, consentientibus multis codd. Quinctiliani 5, 11. 489. atque codice 8. Lagomarsinii. Peyron.

abrogavit] Ita etiam Palimpsestus. Id.

impleverunt] Ita Palimps. atque Cod. 6. Lag. Reliqui *implerunt*. Contractam tamen formam Cicero videtur adamasse.

nefandum adulterium] Ita Palimps. et Taur. 2.

bilissimae feminae comprehenderunt; eum, cuius supplicio senatus sollemnes religiones expiandas saepe censuit; eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse; eum, qui civem, quem senatus, quem populus Romanus [1]), quem omnes gentes, urbis ac vitae civium conservatorem iudicarant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est; eum, qui, plurimis caedibus in foro factis, singulari virtute et gloria civem domum vi et armis compulit; eum, cui nihil umquam nefas fuit nec in facinore nec in libidine; eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam [2]) recensionis, tabulis publicis impressam, exstingueret; eum denique, cui iam nulla lex erat, nullum civile ius, nulli possessionum termini; qui non calumnia litium,

1) *abest* Romanus. 2) publicae.

comprehenderunt] Confirmat Palimps.

Populus Romanus] Ita 4. 6. s. m. 13. s. m. Lag. et Palimps. rectissime. *gentes* omittit Palimps. Idem confirmat *iudicarant;* et haec praeterea habet scholia in margine minutis literis exarata: *dedit*] Dedit Ptolemeo ademit Deiotaro. — *quibuscum*] ea de Pisone et Gavinio dicit. — *aedem Nymph.*] ubi census publici continebantur.

memoriam publicam recensionis] „Ernestus post Lambinum *publicae* probat, propterea quod *memoria publica*, *tabulis publicis impressa* vix dignum sit Cicerone. Sed *recensio*, quae est censoris, vix recte *publica* dicitur; illaque verbi repetitio pondere non caret; memoriam enim Clodius notae censoriae *publicam* monumentisque *publicis* consignatam, delere cupiebat, i. e. ignominiae illius documenta *certissima*." Huldricus. *publicam* firmant Palimps. et uterque Taur.

non iniustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat; qui non solum Etruscos, (eos enim penitus contempserat,) sed hunc P.[1]) Varium, virum[2]) fortissimum, atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus, armis castrisque conatus est; qui cum architectis et decempedis villas multorum, hortosque peragrabat; qui Ianiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum; qui quum ab equite Romano splendido et forti M. Paconio[3]) non impetrasset, ut insulam[4]) in lacu Prelio[5]) venderet, repente lintribus in eam insulam materiem[6]), calcem, caementa, arma[7]) convexit, dominoque trans ripam inspectante, non

1) Q. 2) ∾ *omittendum* virum. 3) et forti viro, T. Pacavio. 4) ∾ *ut sibi insulam*. 5) ∾ *Pritio*. 6) materiam. 7) atque arma.

sacramentis] Vide nunc Gaium *Institutt.* 4, §. 12. p. 302. Ed. alt.

P. Varium, virum] *C. P. Narnum* 43. *C. P.* 2. 11. 13. pr. m. *G. P.* 8. 10. 13. s. m. 21. 25. 65. *Gn. P.* 1. *Cn. publicum* 97. *Gn.* vel *Cn. Pompeium* vel *Pom.* reliqui Lag. *P. Varium* uti legere videor, etiam Palimpsestus. Nam in Palimps. extrema tantum superest inferior pars literae P. quae quum recta sit, neque ad ductus literae C. neque ad illos lit. Q. accedere potest. *virum* omittunt Palimps. et 43. Lag. Peyron.

terminabat] Solus Palimps. *terminarat*. Idem mox confirmat *splendido*, omisso *viro*. itidem firmat *M. Paconio*.

ut insulam] *ut sibi insulam* Palimps. et 6. s. m. Lag.

Prelio] Ita 43. Lag. *Prilio* Palimps. Plinius. 3, 5. scribit *Prilem*, vel *Prillem* (hodie *Lago di Castiglione*) atque vetera Itineraria habent *Aprilem*. Scriptura Ciceronis cum Pliniana facilius conciliatur, si obsecutus auctoritati Palimpsesti legas *Pritio*. Peyron.

materiem] Ita Palimps. 2. 11. 54. 73. Lag.

arma] omisso *atque* etiam Palimps.

dominoque] Ita 6. s. m. 13. et 18. s. m. reliqui *domino*. Lag.

dubitavit aedificium exstruere in alieno; qui huic T. Furfanio, cui viro? dii immortales! (quid enim ego de muliercula Scantia? quid de adolescente Aponio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset [1]),) sed ausus est [2]) Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum; qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit; qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et limine."

1) ∾ *cessissent.* 2) ∾ *ausum esse.*

nostram lect. exhibent Palimpsestus, libri Germani et Taur. 1. s. m. Sunt etiam octo Codd. Lag. qui *spectante* legant. Peyr.

aedificium exstruere] *extruere aedificium* Palimps.

T. Furfanio] Palimps. *T. Furio Fanio*, quod temere recepit Peyron. *Fania* enim gens est, non familia ap. Grut. et Murat., qui etiam *Furfanios* plures exhibent; *Furios Fanios*, ut consentaneum est, nullos.

ego] firmant Palimps. 4. et 43. Lag.

Scantia] Palimps. *Stantia.* idem mox PAPINIO, unde Peyron fecit *P. Apinio.* sed haec omnia nimis incerta quum sint, vulgata retinui.

dicam] Ita Palimps. et pauci Lagomars. reliqui *dico.*

cessisset] *cessissent* Palimps. 24. 97. Lag.

ausus est] *ausum esse* Codd. Lag. praeter 8. 13. 23. 54. 97. uterque Taurin. et Palimpsestus, in quo legitur $\overset{\text{M}}{\text{AVSVSESSE}}$. idque recepit Peyron, quem imitari non sum ausus. Facillime enim audax hoc anacoluthon oriri poterat ex correctione, falsae scripturae *ausus esse*, qualem conspicimus in ipso Palimpsesto. Est tamen memorabilis lectio.

Furfanio] Iterum Palimps. *Furio Fanio.* Mox *fidelissima* et *lumine* etiam in pluribus Lag. legitur.

XXVIII. Quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur: etsi aequabiliter [1]) in rem publicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio quomodo iam usu obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant iam, et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre? Imperium ille si [2]) nactus esset: omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas; vota enim faceretis, ut in eos se potius immitteret [3]), quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias; pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius, et a coniugibus vestris numquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec putatis, quae patent? quae [4]) nota sunt omnibus? quae tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per quos totam rem publicam, resque privatas omnium possideret? Quamobrem, si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: „Adeste, quaeso, atque audite cives: P. Clodium interfeci; eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare poteramus, hoc ferro et hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me ut unum [5]) ius, aequitas,

1) aequaliter. 2) si ille. 3) mitteret. 4) haec, quae. 5) per me unum ut.

XXVIII. *aequabiliter*] *aequaliter* sane plerique Lag. Omnes mox *mitteret*. pauci iterant *pecunias*. *haec*, *quae nota* duo dumtaxat (1. 20.)

per me ut unum] Ita 18. s. m. 43. Lag. Plerique vero, et uterque Taur. *per me unum ut*. Quod quamvis probabilius visum est Italis et Schuetzio, in altero maiorem tamen vim agnosco.

leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent;" esset vero timendum, quonam modo id ferret civitas. Nunc enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum rei publicae profuisse, maxima laetitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, et dicat, et sentiat? Non queo[1]), vetera illa populi Romani gaudia[2]) quanta fuerint, iudicare. Multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriae, iudices. Spero multa vos liberosque vestros in re publica bona esse visuros: in iis[3]) singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos visuros fuisse. In spem maximam, et, quemadmodum confido, verissimam adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc ipso summo viro consule, compressa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et iudiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, con-

1) Nequeo. 2) quanta fuerint gaudia. 3) his.

esset vero — civitas] „Olim haec per interrogationem accipienda putabam (ut habet Moebius). Iam vero id non concedere videtur *vero*, ironiae indicium. Non quaerit illa orationis forma, sed eam vim habet, ut ostendat, *minime* id fuisse timendum: sententiaque ita significata statim argumento confirmatur, *nunc enim quis est* cet. De usu part. *vero* in ironia conferatur Goerenz ad libros *de Finib.* p. 121. 147. ubi locum laudat huic nostro maxime similem *Philipp.* VI, 2, 4." Huldricus.

bona] ante h. v. repetit *multa* etiam 43. Lag.

tingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod ius perpetuae possessionis habere potuissent?

XXIX. Non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illum evomere videar, quam verius. Etenim, etsi praecipuum esse debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur, odium meum. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, iudices. Nempe haec est quaestio de interitu P. Clodii. Fingite animis; liberae enim sunt cogitationes nostrae, et, quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus [1]); fingite igitur

1) ~ *ut ea cernamus, quae non videmus.*

XXIX. *libentius*] „Ernestus, quum verbum *libentius* lenius sit, quam pro re, eius loco legendum suspicatur *licentius*. Sed illud recte dici videtur. Qui enim alterum odio prosequitur, de sceleribus eius *libenter* potius quam *licenter* loquitur, id est studio eius reprehendendi abreptus. In illis autem, quae statim sequuntur, *ut in communi odio paene aequaliter versaretur odium meum*, nomen *odium* elegantius existimat abfuturum fuisse. Quod quidem ita videretur, si ista responderent modo iis, quae proxime antecedunt *in communi odio*, sed quum referantur etiam ad superiora *etenim etsi praecipuum esse debebat* recte nomen ipsum poni existimo.“ Huldricus.

quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus] „Ernesto haec vitiosa esse videntur, quum nihil differat *cernere* et *videre:* putat Ciceronem scripsisse, *quae oculis videmus.* Sed sane differt aliquid inter verba illa. *Cernere* saepe est videre accuratius, ita ut non modo rem omnem, sed singulas quoque eius partes cognoscamus. Hoc autem loco verba ista ita videntur, discernenda, ut *cernere* ad mentem

cogitatione imaginem huius conditionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione percussit! Quid? si ipse Cn.

pertineat, *videre* ad oculos. Ita *Tuscul.* I. 20. *nos ne nunc quidem oculis cernimus, quae videmus*, id est, ea quae ante oculos sunt, quae in oculorum sensum incurrunt, non oculis ipsis, sed animo percipiuntur. Igitur verba *quae videmus* idem significare videntur, ac si esset *quae oculis videmus*, *quae ante oculos sunt*, quod ex omni contextu satis patet." Huldricus. Fateor, Garatonium mihi quidem nondum persuasisse, sequendam esse unius Coloniensis lectionem *ut ea cernamus, quae non videmus*. Nam ubi accuratius hanc inspexeris sententiam, verborum abundantia paene molesta nihil aliud significaretur, quam: *et quae volunt, cernunt;* facileque est lectionis istius admodum speciosae originem demonstrare: fac enim, in codice, quem descripsit Coloniensis librarius, fuisse, *ut ea cernamus, quae videmus*, quemadmodum habent 6. pr. m. 13. s. m. Lag. haud omnino inscite ineptam sententiam ille correxit, negatione ante v. *videmus* de suo inserta. Magis omnino placet comparatio inter mentis oculorumque aciem instituta: cogitationes, quae volunt, intuentur eodem plane modo, quo, si lubet, cernimus ea accuratiusque distinguimus, quae ultro in oculos incurrunt. Cfr. etiam *de Divinat.* I, 57. *animi hominum —— cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt.* Schuetzium praeterea suspicantem *ut ea quae cernimus et videmus* nemo, ut opinor, audiet. Mox *conditionis meae* non satis accurate explicat Moebius: *stellt euch das Bild meiner Lage vor die Augen*: est potius *si haec mihi proposita esset conditio* (*Bedingung*).

afficeret] Ita 6. s. m. 9. 13. var. 18. s. m. Lag. reliqui sunt corrupti.

quos — percussit] „*quos* Ernestus pro *qui*, post Graevium etiam Weiskio probante. Ita quam vim ea res in animum iudicum habeat, maxime ostenditur. Sed ei rationi parum favere videtur verborum collocatio, quum ante sit, *quonam modo ille vos vivus afficeret.* Id si voluisset, praeponendum erat *vos* scribendumque *vos ille.* Eius enim collocationis ope maior vis est in pronomine *ille*, et ad id relativum referendum." Huldricus. Aegre tamen caremus accusativo ad v. *percussit* (*perculsit.* 54. Lag.) perti-

Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum: si is, inquam, potuisset, ut quaestionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? Etiamsi, propter amicitiam, vellet [1]) illum ab inferis evocare [2]), propter rem publicam non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis: et de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. Huius ergo interfector

1) voluisset. 2) revocare.

nente: quem quidem sic exhibet mirus ille 43. Lag. *qui mortuus inani vos cogitatione percussit.*

fortuna] confirmatur a marg. Cratandr. multis Lag. utroque Taur.

ut quaestionem — sic] Lectionem *aut — aut* multi habent Lag. eaque defensorem nacta est Huldricum. Sed res a Garatonio videtur esse confecta. Quod ad criticam rationem attinet, observa unum 23. Lag. exhibere *aut — aut sic:* quod corruptelae originem aeque demonstrat, atque ea, quae Gar. notat de non minus falso: *aut — sic.* Erfurtensis.

vellet] „Minus probatur Ernesti ratio, libris repugnantibus rescribentis *voluisset* pro *vellet.* Ille, de quo dicit, animi sensus non tum modo in Pompeio intelligi, sed nunc etiam perdurare poterat. Ita imperfectum recte et de more ponitur, et nihil impedit, deinde scribi *fecisset,* quod ad certum modo illud tempus revocatur. Aliam Weiskius rationem init ad *vellet* vindicandum. Similiter 30. 82. *nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset,* ubi Ernestus reponendum putat *fuisset*, non de ea modo laude quaeritur, quae Ciceroni illo ipso tempore tribuenda fuerit, sed de ea, quae nunc quoque ipsi, propter meritum illud, tribui possit, ut imperfectum suspectum esse non debeat. Paullo post autem *arbitrarer* positum est pro plusquamperfecto *arbitratus essem.* Ita infra 34. 94. *mihi unquam bonorum praesidium defuturum putarem* imperf. plusquamperfecti *putassem* locum tenet. Hoc enim tempore iam intelligebat, fieri posse, ut bonorum destituatur praesidio.“ Huldricus.

si[1]) esset, in confitendo ab iisne poenam timeret, quos liberavisset? Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem, et memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur [2]) inquam, si fecisset et magno animo et libente, se fecisse libertatis omnium causa; quod esset[3]) ei certe non confitendum modo, verum etiam praedicandum.

XXX. Etenim, si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? Nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri defensorem fuisse: quum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos. Si factum vobis non probaretur, (quamquam qui poterat salus sua cuiquam [4]) non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset: magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere

1) qui. 2) *abest alterum* confiteretur. 3) *abest* esset. 4) cuique.

si esset, in confitendo] Ita 6. var. 13. s. m. 43. Lag. reliqui varie errant.

XXX. *cuiquam*] Sic 1. 2. 4. 6. pr. m. 7. 9. 20. 24. 97. 67. 73. 92. Lag. uterque Taurin.

eum solum, propter quem ceteri laetarentur? Quamquam hoc animo semper fuimus omnes in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus. Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, quum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quae mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, poena, qui nihilo segnius rem publicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de re publica cives: viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse poeniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmet ipsi; et, si grata res publica esset, laetaretur; si ingrata, tamen, in gravi fortuna, conscientia sua niteretur.

XXXI. Sed huius beneficii gratiam, iudices, Fortuna populi Romani, et vestra felicitas, et dii immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit, numenve divinum; quem neque imperii

is vir vere putandus est] Ernestius mavult *vere vir*. Codicum lectionem ex consuetudine Graeca defendit Heindorf. ad Platonis *Phaedon*. §. 18. p. 29." Bremius.

tamen] *tum* Cratandr. sed *tamen* habet in margine.

XXXI. *Qui nullam vim* cet.] Ita 18. 25. var. 86. Lag. Taurin. 1. ceteri incredibilem in modum turbant.

vestri magnitudo, neque sol ille, nec caeli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent, neque, id quod maximum est, maiorum nostrorum [1]) sapientia: qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis, suis posteris, prodiderunt. Est, est profecto illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra, inest quiddam, quod vigeat et sentiat, et non inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. Nisi forte iccirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre, aut plane, qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis, ea igitur ipsa, quae saepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exstinxit ac sustulit: cui primum mentem iniecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immorta-

1) ∾ *delendum* nostrorum.

nostrorum] omittunt plerique Lag. et Taur. uterque.

neque — et non] Stoicorum similem argumentandi rationem, quo refellat, affert Alexander Aphrodis. de Fato c. 35. p. 110. Orell. *λέγουσι γάρ· οὐκ ἔστι μὲν τοιαύτη ἡ εἱμαρμένη, οὐκ ἔστι δὲ πεπρωμένη, οὐδέ ἐστι πεπρωμένη, οὐκ ἔστι δὲ αἶσα, οὐδέ ἐστι μὲν αἶσα, οὐκ ἔστι δὲ νέμεσις* cet. Eademque aliis in rebus usus est Cicero *de Rep.* I. c. 45. p. 115. Tubing. *de Fato* c. 8.

nostram ipsam mentem] „Cum Weiskio *nostram ipsorum* legendum videtur.“ Huldricus. Prorsus necessarium tamen non est.

lium cura, res illa perfecta. Religiones mehercule ipsae, quae illam belluam cadere viderunt, commosse se videntur, et ius in illo suum retinuisse. Vos enim iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales, quas ille, praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestrae tum, arae[1]), vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat, tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesque saepe omni nefario stupro et

1) ∾ *delendum* arae.

quae illam] Glossemata *quum* et *tum* omnes quoque exhibent recens collatorum.

sacrorum populi Romani sociae et aequales] Similia leguntur de Laurentibus sacris in memorabili inscriptione Pompeiis nuper effossa et singulari cura illustranda in Sylloge mea Inscriptt. latinarum:

Sp. Turranius L. F. Sp. N. L. Pron. Fab. Proculus Gellianus Praif. Fabr. II. Praif. Curatorum Aldei Tiberis. Praif. Pro. Pr. 1. D. In Urbe Ladinio. Pater patratus Populi Laurentis foederis ex libris Sibullinis percutiendi cum P. R. Sacrorum Principiorum P. R. Quirit. nominisque Lastini (*sic*) quae apud Laurentis coluntur. Flam. Dialis. Flam. Mart. Salius. Praisul. Augur. Pont. Praif. Cohort. Gaitul. Trib. Mil. Leg. X. Loc. D. D. D. — Romanelli *Viaggio a Pompei*. I. p. 151.

vestrae tum, arae, vestrae religiones] Huldricus quoque v. *arae* pro insititio habet. At mihi est vocativus, cui h. l. nullum epitheton addi satius sane erat, quam si repetisset *Albanae*, vel *deorum immortalium*, cet. Distinctione igitur iuvandum. *vestrae tum, arae, vestrae* cet.

Latiaris — Iupiter] Mirum nullam omnino *Iovi Latiari* dicatam hodie superesse inscriptionem: ea enim, quam exhibet Gudius, p. 5, 9. Ligoriana est, manifesto fictitia. Vides eius cultum sub Imperatoribus paullatim evanuisse. Ceterum e Scholiaste nescio quo *Latiaris summe Iupiter* utique sine caussa probabat Nic. Heinsius.

scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illae, vobis vestro in conspectu serae, sed iustae tamen, et debitae poenae solutae sunt. Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae deae, quod est in fundo T. Sextii Galli [1]), in primis honesti et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, quum praelium commisisset, primum illud vulnus acciperet [2]), quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus iudicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus. Nec vero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore et luto, spoliatus illius su-

1) ∾ *Sergii Galli*, omisso *T.* 2) ∾ *acceperit.*

Bonae Deae, quod est in fundo] His verbis incipit folium 78. 85. Palimpsesti Taurinensis, quod desinit verbis *circumscripsisset me.* Peyron.

T. Sextii Galli] Lagomarsiniani Codd. varie errant *Sextii, Sexti, Sesti, Sestii: Serti* est in 43. *Sertii* Codd. Gruteri. *Sesti* Bavar. Omnes vero praenomen addunt *T.* vel *Ti.* Equidem obsecutus auctoritati Palimpsesti edidi *Sergi* absque praenomine. Peyron.

acciperet] Ita 18. s. m. 23. Lag. et quod caput est, Palimpsestus. Reliqui *acceperit.* „Quod Graevius receperat *acceperit*, idem tuetur Goerenz *de Fin.* p. 216. eandem dicens esse constructionem, ac si scriptum esset, *factum est*, *dicemus* omisso.“ Huldricus. In perfecto simplex inest facti notio: in imperfecto etiam necessitatis et consilii divini, quasi dixisset: *ut eum oporteret vulnus accipere, ita volente numine Bonae Deae.* quocirca *acciperet*, vetustissimam lectionem, servavi. *volnus* Palimps.

atque ludis] Ita Palimps. *sine ludis* unus 23. Lag. Mox *sise funere* uni suspectum est Schuetzio. Alius nescio quis, *iusti rogi* desiderabat mentionem.

premi diei celebritate, cui [1]) concedere etiam inimici solent, ambureretur abiectus. Non fuisse credo fas, clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo vita esset damnata.

XXXII. Dura mihi, medius fidius, iam Fortuna populi Romani, et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rem publicam [2]) insultare videret et [3]) pateretur. Polluerat stupro san-

1) quam. 2) ∾ *in hac republica.* 3) ∾ *omittendum* videret et.

cui concedere] Hanc veram lectionem censeo compositam ex Palimpsesti, Romanae, Ignotae et Iuntinae *cui cedere*, et vulgata *quam concedere:* priores offendebat Ciceronianus usus v. *concedere*, alteros constructio pronominis, quam non intelligebant. Ea vero egregia est emendatio ineptae vulgatae. Peyronius secutus est palimpsestum.

ambureretur abiectus] Sic etiam Palimps. idem retinet *decoris.*

mortem lacerari] „Vereor ne absurdius dictum sit, quam ut a Cicerone. Suspicor scriptum fuisse: *funus eius lacerari.* Sic alibi, etsi in sententia per metaphoram expressa: *si funus id habendum sit, quo — conveniunt — ad reliquias vitae lacerandas.* Or. pro Quint. c. 15.“ Schuetz. Equidem neminem arbitror huic suspicioni esse fauturum. Cfr. *Propert.* L. 2, 10. (3, 4. *Lachm.*) 6. *Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.* Mox Palimps. *esset vita.*

XXXII. *mihi medius fidius*] *medius fidius, mihi* Palimps.

in hanc rempublicam] *in hac re publica* Peyron ex Palimpsesti INHAC. R. P.

videret et] Omittunt haec 6. 8. 13. 25. pr. m. 43. 54. 65. 67. 69. 73. 75. Lag. et ipse Palimpsestus; neque tamen mihi certe glossematis habere speciem videntur. Nam vel casu, de quo quidem spondere nunquam possumus, exciderunt, vel *caecam* Fortunam *videre* nolebant magistri, vel denique offendebantur nimia propinquitate verborum *videbatur* — *videret.* Iis certe omissis admodum exiles evadunt et sententia et numeri.

ctissimas religiones; senatus gravissima decreta perfregerat; pecunia se a iudicibus palam [1]) redemerat; vexarat in tribunatu senatum; omnium ordinum consensu pro salute rei publicae gesta resciderat; me patria expulerat; bona diripuerat; domum incenderat; liberos, coniugem meam vexarat [2]); Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat; magistratuum privatorumque caedes effecerat [3]); domum mei fratris incenderat; vastarat Etruriam; multos sedibus ac fortunis eiecerat. Instabat, urgebat; capere eius amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant. Incidebantur iam domi leges, quae nos nostris servis addicerent: nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat eius cogitationibus nemo, praeter Milonem. Ipsum illum, qui poterat obstare, novo reditu in gratiam quasi de-

1) palam a iudicibus. 2) vexaverat. 3) fecerat.

a iudicibus palam] Ita Palimps. et 6. s. m. quem verum ordinem esse agnosces ex varietate Peyroniana *iudicibus palam* — *palam iudicibus.*

vexarat] Ita Palimps. 6. 7. 9. 97. ut supra.

nos nostris servis] Praestare videtur hic verborum ordo, etsi Palimps. et 18. s. m. habent *nos servis nostris.* Alia res est infra c. 33. *servos nostros libertos suos.*

Ipsum illum] *Illum ipsum* Palimps. (Erfurt.) 6. s. m. 18. s. m. Sed saepe ordo minus solitus *ipse ille* in vulgarem mutatus est. Sequens glossema in multis obvium *Cn. Pompeium* omittunt Palimps. 43. Lag. et, si recte intelligo Graevianam varietatem lectionis, etiam Erfurtensis. In Garatonii adnotat. ad h. l. *Erfurt. ad Lamb.* error videtur. Ceterum Palimps. *obstare poterat.* Sed haud minor vis h. l. inest in verbo *poterat*, si scil. voluisset.

devinctum] „Minime persuadet Weiskius, reponens *devictam*, quamquam aberraverunt ita Oxonienses tres. Novo reditu in gratiam non erat *devictus* Pompeius, sed *devinctus*

vinctum arbitrabatur; Caesaris potentiam suam [1]) esse dicebat; bonorum animos etiam [2]) in meo casu contempserat; Milo unus urgebat.

XXXIII. Hic, dii immortales, ut supra dixi, mentem illi perdito ac furioso dederunt [3]) ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit: numquam illum res publica suo iure esset ulta. Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset. Ne quum solebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat. An consules in praetore coërcendo fortes fuissent? Primum Milone occiso, habuisset suos consules. Deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum, virtutem consularem crudelissime vexatam [4]) esse meminisset? Oppressisset omnia, possideret, teneret: lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros

1) ∾ *potentiam suam potentiam.* 2) ∾ *omittitur* etiam. 3) dederunt illi p. ac f. 4) virum — vexatum.

i. e. velut vinculis quibusdam constrictus, ut ea re impeditus libere agere non posset." Huldricus.

Caesaris potentiam suam esse dicebat] Ita etiam Palimps. et pauci Lag.

animos etiam in meo] *etiam* omittunt Palimps. plerique Lagomars. Taurin. 1. et 2. pr. m. Peyron. Ego eiicere non sum ausus.

XXXIII. *Hic, dii immortales, ut supra dixi*] „Perperam apud Graevium, Ernestum (et Schuetzium) interpungitur *Hic, dii immortales! ut s. d.* Alienissimum eo loco exclamandi signum post illud nomen, quod subiecti locum tenet." Huldricus.

illi perdito ac furioso dederunt] Ita etiam Palimps.

virtutem] *virtute* 2. 8. 10. 11. 13. 21. 23. 25. 43. 97. *virum certe* 6. Lag.

teneret: lege nova — Clodianis, servos] Pessime, observantibus Weiskio et Huldrico apud Ernestium Schütziumque distinguitur: *teneret lege nova, — Clodianis: servos.*

libertos suos fecisset. Postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rem publicam nullam haberetis. An ille praetor, ille vero consul, si modo haec templa, atque ipsa moenia stare eo vivo tamdiu, et consulatum eius exspectare potuissent, ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quamquam esset miserum id ipsum, sed ab uno? qui quum tantum ausus sit ustor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt, qui de via Appia querantur, taceant de curia? et qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cuius non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate ipsum[1]), si potestis, ab inferis! Frangetis impetum vivi, cuius vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam concurrerunt, cum

1) eum.

caput urbis] *orbis* in nullo Lagomars. inventum est, habet tamen Iunt. Contra *ustor* exhibet 43. Lag. Probatur etiam Schuetzio.

excitate ipsum] Garatonium sum secutus: Peyronius e suis nihil notat, sed Iunt. Cratandr. nostram lectionem confirmant.

falcibus ad Castóris, cum gladiis toto foro volitarunt. Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, quum audiretur silentio M. Caelius, tribunus plebei [1]), vir et in re publica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna, singulari, divina, et incredibili fide.

XXXIV. Sed iam satis multa de causa: extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat; ego, etiam repugnante hoc, et imploro, et exposco? Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrimam adspexistis Milonis; si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere. Haud [2]) scio, an multo etiam sit adiuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, et in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos et supplices,

1) plebis. 2) atque haud.

XXXIV. ...*sa extra causam*] Ab his incipit folium 102. 109. Palimpsesti Taur. quod desinit verbis *negat enim negat*. Peyron.

eam misericordiam] Ita Palimps. et pauci Lag. plerique *etiam*.

ego etiam] Ita Palimps. et uterque Taur. cet.

in nostro] Palimps. et aliquot Lag. Reliqui *in vestro*.

Haud scio] *atque* omittunt omnes Lag. uterque Taur. ipse quoque Palimps. quibus parendum erat. Hoc certe loco eiusmodi ἀσύνδετον, quo post preces illas *nolite — minus ei parcere*, iudicibus quid potius etiam faciendum sit, suggerit, nihil habet offensionis. Mox Palimps. et 67. 75. Lag. *sit etiam:* sic plerique, quos Peyron secutus est, cum Palimps. *et infimi*. deinde Palimps. *atque supplices*.

et, ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus; fortes, et animosos, et se acriter ipsos morti offerentes, servare[1]) cupimus; eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus? Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue; et quibus intersum quotidie. „Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant; sint incolumes, sint florentes, sint beati; stet haec urbs praeclara, mihique patria carissima, quoquo modo erit merita de me[2]). Tranquilla re publica cives mei, (quoniam[3]) mihi cum illis non licet) sine me

1) servari. 2) merita de me erit. 3) ∾ *quando.*

acriter ipsos] Hoc firmant Palimps. et aliquot Lag. a. s. m.

servare] Confirmant hoc Palimps. et omnes Lag. (*servari* 6. s. m. 18. s. m.) Praetulerunt activum etiam Moebius et Huldricus, qui haec adnotat: „Quod praefert Ernestus *servari,* quodque habet unus Oxoniensis C. eo non opus esse videtur. *Servare* cupimus nos scilicet, qui ludis intersumus, a quorum pendet arbitrio, num gladiatori victo pereundum sit, an salus concedatur.“

efflagitant] „Marklandus in *Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus* p. 273. pro *efflagitant* scribendum putat *flagitant.* Hoc enim esse vult, studio importuno petere, illud, quod ita petas, consequi. Verum monet Wolfius V. C. ad orat. *ad Quir. post red.* 5, 11. utut non possit aliquot verbis pertractari haec, quamtumvis minuta, quaestiuncula, h. l. tamen recte aliquem posse in vulgata scriptura adquiescere. Quid enim impedit, etiam eos intelligi, qui *flagitando* salutem suam consecuti fuerint?“ Huldricus.

valeant] bis tantum habet Palimpsestus.

stet haec] Ridiculum Palimpsesti errorem commendare videtur Peyronius haec adnotans: „*sit et haec,* ita Palimps. quod magis congruit cum praecedentibus *sint.* Libri omnes *stet haec.*“ Nec tamen illud edi curavit.

cives mei] Palimps. *mei ci-*

ipsi, sed per [1]) me tamen, perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi re publica bona frui non licuerit, at carebo mala: et quam primam tetigero bene moratam et liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, inquit, suscepti mei [2]) labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae! Ego, quum tribunus plebis re publica oppressa, me senatui dedissem, quem exstinctum acceperam; equitibus Romanis, quorum vires erant debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant: mihi umquam bonorum praesidium defutu-

1) ∾ *propter.* 2) ∾ *mihi suscepti.*

ves ut Erfurt. In talibus ab eo ordine, qui pluribus firmatur Codd. abire lubrica res est. pro *quoniam* margo Cratandr. egregie *quando.* Palimps. tamen *quoniam* videtur firmare. quod idem Palimps. mox exhibet *propter me* minime displicet: supra *propter* aliquoties sic habuimus.

republica bona] Palimps. *bona republica.* „Frustra Weiskius *rei publicae malae* controversiam movet, suspicatus legendum *si mihi reipublicae bonis — at carebo malis.* Quum ante dixit *tranquilla republica* facile defertur eo, ut *bonam* dicat *rempublicam*, cui tum *mala* apte opponitur.“ Huldricus.

quam primam] *primum* etiam Palimps. et omnes Lagomarsiniani. Satis mature librarios discrimen inter *quam primum* (cuius tamen relativum quoque exemplum e Plauto dat Forcellinus, *Quam primum expugnari potis est amator*, *optimum est*) et *qui primus* confudisse apparet.

suscepti mei] Peyronius e Palimpsesto perperam dedit *mihi suscepti*, quae interpretatio est non satis accurata. *frustra suscepti mei labores* id est *ad unum omnes. frustra mihi suscepti labores* sunt ex omnibus ii dumtaxat, qui inanes fuerunt.

o cogitationes] Palimps. *et cogitationes*, quod etsi languidius, recepit Peyron. Mox Palimps. confirmat *dedissem.* et notat διττογραφίαν hanc QUEM(A) EXTINCTUM(A). „Verum haec, inquit Peyron, non ad rempublicam pertinent, quae oppressa iacebat, sed ad Senatum.“

rum putarem? Ego, quum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi putarem in patria non futurum locum [1])? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua [2]), M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox et defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari?"

XXXV. Nec vero haec, iudices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, se, negat ingratis civibus fecisse, quae fecerit: timidis, et omnia circumspicientibus pericula, non negat. Plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce, fortunis vestris imminebat,

1) mihi futurum in patria non putarem locum? 2) ∾ *tua illa.*

mihi putarem in patria non futurum locum?] Hunc Palimpsesti ordinem cum Peyronio praetuli vulgato: *mihi futurum in patria non putarem locum?* Longe enim aptius est toti sententiarum seriei, ut dicat: tuncne putarem, mihi in patria non futurum locum, me unquam in exilium pulsum iri, quam: tunc non putarem, mihi in patria (semper) futurum locum, permissuros esse cives, ut consenescerem et obirem in patria.

illi, illi, inquit] Semel *illi* Palimps. improbante vel Peyronio.

tua] *tua illa* Palimps. Peyron. non male. Mox idem *atque defensio.*

XXXV. *negat enim, negat*] His verbis finem facit folium Palimpsesti. Quare quum libri omnes haberent *negat enim; se, negat ingratis civibus fecisse* transtuli post *civibus* incommodum illud *se*, quod impetum orationis *negat enim, negat* frangebat. Peyron. Sed probabilius est, Palimpsestum habuisse *negat enim, negat se ingratis* —.

fecerit] Ita unus 18. s. m. aliquot *fecisse*, plerique *fecisset*, nullus *fecit.*

eam, quo tutior esset vita vestra, se [1]) fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deleniret [2]); nec timet, ne, quum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in rem publicam singularibus. Senatus erga se benivolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam; vestras vero, et vestrorum [3]) ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum ablaturum [4]) esse dicit. Meminit etiam, sibi vocem praeconis modo defuisse, quam minime desiderarit: populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit [5]), se consulem declaratum. Nunc denique, si haec contra [6]) se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti

1) suam se. 2) deliniret. 3) ceterorum. 4) se ablaturum. 5) ∾ *concupierit.* 6) haec arma contra.

vita vestra, se fecisse] Ita plerique Lagomarsiniani; unus 25. *suam se fecisse.* Pauci *vita nostra.* Peyron.

vestrorum ordinum] Pravam Heumanni coniecturam *ceterorum* unus adhuc approbavit Schuetzius.

cupierit] *concupierit* etiam Iuntina et margo Cratandr. quod minime spernendum.

si haec contra se sint futura] Ita omnes Codd. Lagomarsiniani et Edd. vett. De Erfurtensi sane non constat ex Var. Graevii. Hanc lectionem si sequaris, v. *haec* profecto neque ad *arma* δεικτικῶς, ut vult Garatonius, neque ad *suffragia* cum Weiskio ac Moebio est referendum; sed hoc dicit, si omnia haec in rempublicam merita, quae supra enumeraverat, contra se sint futura, eo tantummodo valitura sint, ut a iudicibus condemnetur cet. *arma* si dixisset, offendisset et Pompeium, qui arma minime contra Milonem in foro disposuisse videri volebat, et iudices, Catonem eiusque similes praesertim, quos ignavos facileque Pompeii armis exterrendos uno hoc vocabulo significasset. Vulgatam tamen defendit Huldricus ita: „*Arma* Weiskius unius libri fide, quem tamen sequuntur Oxonienses H T. 8 χ 1, 3 d ψ delere cupit, ut *haec* ad *populi suffragia* referatur, quibus

crimen obstare. Addit haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta; se nihil in vita, nisi praeclarissime fecisse, siquidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam liberare; beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus; nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint: sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium, gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur; quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam in coelum homines [1]) viderentur adscendere. „De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla umquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, quum omnes a meis [2]) inimicis faces meae invidiae subiiciantur [3]);

1) homines in coelum. 2) ∾ *ab inimicis.* 3) subiiciuntur.

illi consulatus mandabatur. Sed non iam de petitionis eventu agitur, *arma*que intelligenda sunt praesidia illa circa forum iudiciumque disposita. Ad locutionem illustrandam apte laudat Weiskius 1, 2. *quae* (arma) *si opposita Miloni putarem.* Neque vero *futura* offendere debet. Id enim nondum sciebat, sed ex iudicii eventu, et iis, quae deinceps accidebant, intellecturus sibi videbatur." Qui *arma* defensuri sunt, recurrent etiam ad cap. 25.

in coelum homines viderentur] Ita etiam 43. Lag. Io. Ad. Nodell in *Act. Societ. Traiect.* existimat corrigendum posse videri *escendere.* Refutat doctiss. Ochsnerus *Eclog. Cic.* p. 226.

meis inimicis] Ita 6. s. m. 13. s. m. 18. s. m. *suis* reliqui Lag. *subiiciantur* omnes. In seqq. codd. Lag. *altera que* 4. *altera quas* 6. pr. m. *altera quam* 21. 23. 6. s. m. var. *ultra qua* 97. *ultra quam* 18. 25. var. 86. pr. m. 69. *ea* vero ad unum omnes omittunt.

tamen omni in hominum coetu, gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos, et actos, et institutos dies; centesima lux est haec ab interitu P. Clodii, et, opinor, altera; qua fines imperii populi Romani sunt, non[1]) solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris et iam versatur, et semper habitabit nominis mei gloria."

XXXVI. Haec tu mecum saepe, his absentibus: sed iisdem audientibus, haec ego tecum, Milo. Te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum: sed, quo est ista magis divina virtus, eo maiore a te dolore divellor. Nec vero, si mihi eriperis, reliqua est illa tamen[2]) ad consolandum querela, ut his irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum umquam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis, (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis. Quae si vos cepit oblivio, aut si in me aliquid offendistis: cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? praeclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc

1) ea non. 2) saltem.

XXXVI. *quum isto*] Ita 2. 7. 9. 11. 54. Lag.
eriperis] „Malim *eripieris*, praesertim ob futurum exactum *accepero*." Bremius.
offendistis] v. Oudendorp. ad l. *de Invent.* I, 28. p. 54. ed. Neapolit.

tantum mali videro. Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum saepe corpus et vitam obieci armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te supplicem abieci; bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli; hoc denique ipso die, si qua vis est parata, si qua dimicatio capitis futura, deposco. Quid iam restat? quid habeo, quod dicam [1]), quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo; vosque obsecro, iudices, ut vestra beneficia, quae in me contulistis, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio occasura esse videatis.

XXXVII. His lacrimis non movetur Milo. Est quodam incredibili robore animi; exsilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus; mortem naturae finem esse, non poenam. Sit hic ea mente, qua

1) ∾ *delendum* quod dicam.

si quid mihi acciderit] Sic *de Invent.* I. 56. *si quid acciderit* ubi Ox. 2. e gloss. add. *adversitatis.*

dimicatio] Ridiculam lectionem *diminutio* exhibent 6. s. m. 23. 25. Lag. *capitis* plerique omittunt, iidemque fere et *futura*, sed his omissis, vis sententiae evanescit.

quid habeo] Longe plurimi Lag. omittunt *quod dicam.* item uterque Taurin. Inest quaedam ἀκυρολογία, video: sed cur insertum fuerit, nemo facile dixerit: resecari contra poterat a severiore aliquo magistro. Ego toleravi cum nota.

videatis] unus 43. Lag. reliqui *iubeatis.*

XXXVII. *animi*] *septus* addunt 1. 2. 3. 7. 9. 67. 68. 69. 70. 81. 88. 95. Lag. Romana, Ignota: desideratur in utroque Taur. placebat Weiskio et Huldrico.

natus est [1]). Quid? Vos, iudices, quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis; ipsum eiicietis? et erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis; vos in viri, et in civis invicti appello periculo, centuriones, vosque milites; vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic iudicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? proiicietur? O me miserum, o me [2]) infelicem! Revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? Mene [3]) non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? At in qua causa non potuisse? Quae est grata gentibus. A quibus non potuisse? Ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? Me. Quodnam ego concepi tantum scelus, aut quod in me tantum fa-

1) ∾ *Sed hic ea mente natus est.* 2) *abest* me. 3) Me.

sit hic ea mente, qua natus est] Hoc pluribus Lag. confirmatur: multi lectiones Garatonio memoratas exhibent v. c. Taurin. uterque *sed hic.* plerique *ornatus est.* „Minus recte Weiskius *si hic ea mente ornatus est, quid* —. Id enim admodum languet: apta contra in illa scriptura sententia, qua significatur, eam animi fortitudinem constantiamque naturalem Miloni et velut innatam esse." Huldricus.

o me infelicem] Ita 1. 3. 7. 9. 67. 68. 69. 70. 72. 88. 92. 95. Lag.

mene] Ita 18. s. m. 71. 72. Lag. Taurin. 1. sec. m.

cinus admisi, iudices, quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi? Omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? An ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem [1]) reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?

XXXVIII. Utinam dii immortales fecissent, (pace tua, patria, dixerim; metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie;) utinam [2]) P. Clodius non modo viveret, sed etiam praetor, consul, dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem et a vobis, iudices, conservandum virum! „Minime, minime, inquit. Immo vero poenas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas.“ Hiccine vir patriae natus, usquam, nisi

1) ∾ *acerbiorem mihi pati.* 2) ut.

ex fonte illo] Omnes Lag. et Peyr. *ex illo fonte:* placebat scil. librariis hexametri clausula.

si distrahor ab iis, per quos restitutus sum] Graevius *distrahar* e Mss. probante Ernesto, qui tamen suspicatur tum sequi debere *restitutus sim*. Sed non est cur h. l. de indicativo dubites, quum suum ipsius Cicero, non aliorum explicet iudicium. Male tandem Weiskius suspicari videtur pro *per quos* reponendum esse *quibus*. Multo enim gravius est ab iis distrahi, *per quos* restitutus fueris. Ita paullo ante, *ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus*. Male Moebius edidit *distrahar*.

XXXVIII. *utinam P. Clodius*] hoc firmant longe plurimi Lag. et Peyr. *ut* ex Codd. Lag. habet tantum 6. pr. m.

potius quam] Omnes Lag. conspirant in corruptum *potius, antequam*. Mox aliquot *hoc tantum spectaculum*.

in patria, morietur? aut, si forte, pro patria [1])? Huius vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? Hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt? O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit; hanc ingratam, si eiecerit; miseram, si amiserit! Sed finis sit, neque enim prae lacrimis iam loqui possum: et hic se lacrimis defendi vetat. Vos oro, obtestorque, iudices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, iustitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis, optimum, et sapientissimum, et fortissimum quemque delegit [2]).

1) *temere eiecta sunt ista* aut — patria. ∾ *aut, si forte procul, pro patria?* 2) legit.

aut, si forte, pro patria] Perversum Heumanni de his iudicium secutus est Schuetzius. *procul patria* perversissime 7. 21. s. m. 23. Lag. ex quo tamen nata est ingeniosa Peyronii coniectura *aut, si forte procul, pro patria?* cuius scripturae ipsum fortasse Ciceronem haud poeniteret: exul scilicet, procul a patria moriens, capite deminutus quum sit, *pro patria* mori nequit: itaque haec iusta sane oppositio esset cum praecedentibus: aut si forte extra Romam mori ei destinatum est, civis certe pro patria pugnans occumbat. At, si originem spectas huius speciosae suspicionis, nullam aliam invenies, nisi librariorum, eorumque admodum paucorum, insignem stuporem, quibus bellum istud ἀντίθετον placeret *in patria, procul patria.* Ac, si subtilius examines vulgatam, videbis longe maiorem ei vim inesse: etenim in ipsa Urbe Roma *pro patria* mori altero fortasse Clodio interfecto gloriosius est, quam si quis cum barbaris bella gerens occidit. Perversam Weiskii distinctionem *aut si forte pro patria; huius vos* memorasse sufficit. Mox librariorum stupor in plerisque Lag. *corporis nisi in Italia:* sed multi quoque veras lectiones *et fortissimum — delegit* confirmant.

GASP. GARATONII

ADNOTATIONES.

Cap. I. T. *Annius ipse*] Ab uno Lallem. cognomen *Milo* suis Mstis volentibus deletum est, quod male additum existimantes nos quoque sustulimus. Omittitur in hoc ipso, ne alios congeram, nominando infra capp. 2. 28. 30. 36. post red. ad Quir. 6. in Sen. 8. de H. R. 3. 4. et pro Sext. 40. Adiectionem prodit prior Ven. in qua, *cum Milo T. Annius ipse*, eademque litteris M. T. indicatur in cod. Barberino primo. Carent hac, sed aliam praebent Rom. et sec. Veneta, dum habent, *cum contra T. Annius ipse*, quomodo unus etiam Britann. et inde alter, *cum consul T. A. ipse.* Bavaricus id peccat, quod nullus hic alius; scribit enim, *T. Antonius ipse*, qua de nominum permutatione vide Drak. ad Livii epitom. LVIII. Puri sunt, planeque intacti codices Erfurt. Car. Steph. alter Barb. duo Britann. et meus, omnes denique Quinctiliani I. O. XI. 3. p. 1008.

Qui quocumque inciderunt] Ita Graevius Fabricii, et Lambini codices, suumque Erfurt. secutus, eisdemque Bavaricus adstipulatur, et Quinctilianus l. c. ut quidem in libris illius optimis legitur: nam *inciderint* apud eum Manutius invenit, egoque in eiusdem cod. Barberino, neque aliter ipse, ut editur, Cicero, in fragmento Scaurianae apud Asconium ultimo. *Undi-*

que mihi subpeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint. Optimos illos codices sequor, quamquam adcusari Latinitatem hanc ab Heumanno, et Ernesto video; sed recte defenditur ab Heusingero in praef. ad Cic. de Offic. p. LV. Ita parad. 2. *quocumque adspexisti, ut Furiae, sic tuae tibi occurrunt iniuriae.*

Et pristinum morem iudiciorum requirunt] Schottus I. Nod. Cic. 14. hanc lectionem uno ex Quinctiliano profert, et III. 13. addit Fabriciani cod. testimonium: comprobant Pareus Lex. Crit. p. 1078. Gifan. Obs. L. L. p. 424. et Sciopp. de arte crit. p. 96. Sed eamdem inveni apud Isidorum quoque, ac Diomedem. Clausulam ille II. Orig. 18. ita contrahit, *veterem iudiciorum morem requirunt.* Luculenta vero Diomedis auctoritas, qui p. 466. de pedibus agens, quibus periodi terminantur, ita hic legit *requirunt,* ut neque aliae lectiones, neque illa, *minime vident,* quae a priore Ven. usque ad Lambin. regnavit, et in Barberinis, in meo, aliisque Mstis interpolatis est, possit ullo modo consistere. Quo tamen suo tam gravi testimonio Diomedes malas ab se ipso manus repellere non potuit, a quibus in alium eius locum p. 462. *minime vident* inlatum fuit. Rom. unus Britann. et margo Fabii Basil. *desiderant,* quam veram esse lectionem dicerem, nisi aliam multo veriorem haberemus. Rhet. ad Herenn. IV. 37. *vestram sapientiam desidero, veterem consuetudinem requiro.* Augustus apud Gellium XV. 17. *oculi mei requirunt meum Caium.* Cicero in Pison. 12. de Pompeio: *quam experrecta tandem virtus clarissimi viri celeriter et verum amicum, et optime meritum civem, et suum pristinum morem requisivit.* Bavar. et quinque Britann. nobiscum faciunt: idem de Waldalf. ed. ac de Iuntina testatur Ernestus: sed quod Venetam 1480. addit, fallitur: nam glossema illud in ea pervulgatum inveni. Male in Cod. Car. Steph. *amittunt.* Bavar. ipse male omittit *veterem,*

quod tamen faciunt aliqui Fabii codices, et in his Barberinus.

Nam illa praesidia] Heumannus putat haec esse illa praesidia, quae Ciceronem a Pompeio petisse *temporibus Milonianis* scribit Balbus in epistola, quae subiungitur IX. ad Attic. 3. ut antea Corradus ibi censuerat. His adcedit Middletonius in vita Cic. l. VI. ad hunc annum. Sed haec ad iudicii libertatem comparata praesidia, qualia olim in turpissima P. Clodii causa iudices postularant, ab iis diversa esse, de quibus loquitur Balbus, facile videbuntur, si argumentum Asconii conferas cum epistola 10. libri III. ad diversos, ubi Manutius loco adlato Balbi, differentiam subindicat. Haec praesidia, ut omnis a iudicio tumultus amoveretur, a L. Domitio Quaesitore M. Marcellum, et Milonem ipsum implorasse, Domitium autem a Cn. Pompeio obtinuisse, scribit Asconius. Imo infestus ille Miloni, ut notum est, plus etiam praestitit, quam rogabatur. Lucanus I. 319.

Quis castra timenti
Nescit mixta foro? gladii quum triste minantes
Iudicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem?

Aliud vero praesidium pro se ipso privatim petiit Cicero a Pompeio, ne invidia temporis obprimeretur, quum Tribuni plebis, Plancus, et Q. Pompeius in se multitudinem concitarent, qui anno sequente earum rerum nomine, quas in tribunatu contra remp. gesserant, damnati sunt. Cum his Tribunis Sex. Clodius, et Clodiani omnes Ciceroni vim, perniciemque intentabant. *Collocata* primus ex meis Manutius dedit, ut Parrhasius emendabat: recte, nec sine codicum auctoritate, ceteri adsciverunt. Editi enim antea, codicesque Bavar. ambo Barb. sex Britann. Franc. et meus, *collata* exhibent ex frequenti permutatione, de qua ad cap. 7. pro L. Man.

[*non*] *adferunt tamen oratori aliquid*] Negationem seiunxi, quia sensum plane pervertit; non delevi, quia in libris omnibus reperta est: etiam in Vaticano illo, de quo dubitatum fuit; Mureti etenim adscriptionem inspexi ad ed. Man. in Collegio Romano adhuc exstantem. Primus eam sustulit Lamb. et ex Vatic. addidit *horroris*, quod etiam in duobus Palatinis inventum est, quum Erfurt. Barb. pr. et unus Britann. addunt *terroris*, ut supra *terret oculos*, et Quinctil. VIII. 3. p. 679. *nam ferrum adfert oculis terroris aliquid:* quae in Memmianis quoque a Lambino conspecta est additio, et a Schellero Observ. p. 118. idcirco praefertur, quod terror horrore sit levior. Lambinum est ita secutus Heumannus, ut *oratori* a voce *horroris* fluxisse putarit, et eiecerit. Idem fecit Ernestus, sed ingeniose ex *non* elicuit *nobis*, deditque, *nobis adferunt tamen horroris aliquid.* Iam Bavaricus cum octo Britann. et plerisque hoc plane exhibent, quod edidimus, neque probare possumus. Est enim necessaria emendatio, quaecumque demum placeat. Mihi haec ex sequentibus ponderanti, *ut ne non timere quidem sine aliquo timore possimus*, tam *horroris*, quam *terroris*, tum per se, tum ob varietatem ipsam, videtur esse glossema, eodemque habenda loco vox *oratori*, quae sententiam coartat: negatio vero ferri non posse, nisi alia antecedat, ut nihil sit de adfirmatione detractum. In quo me adiuvat optimus Bavaricus, dum supra dat, *non illa praesidia*, mendose quidem, sed illud *nam* ita ibi otiosum est, ut mendo haud minus adfine facile videatur. Sunt autem maxime ad permutandum exposita, *nam*, *non*, *nec*, ut ex Drak. cognosces ad Liv. V. 54., VIII. 27. Sic itaque fuisse suspicor. *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat; non usitata frequentia stipati sumus: nec illa praesidia — — — etsi contra vim collocata sunt, non adferunt tamen aliquid, ut — — — ne non timere quidem sine aliquo timo-*

re possimus. Eadem ratione alibi oratio ducitur, et colligatur: veluti pro Murena 35. *Non igitur, si L. Natta — — in equitum centuriis esse voluit et ad hoc officium necessitudinis, et ad reliquum tempus gratiosus, id erit eius vitrico fraudi, aut crimini: nec, si virgo Vestalis — — — locum suum gladiatoribus concessit huic, non et illa pie fecit, et hic a culpa est remotus.* Sensus autem hic est: illa praesidia, quamvis salutaria, et contra vim posita, tamen aliquid secum adferunt, habent in se, quod timorem iniiciat, etiam quum tollunt. Huius exempla significationis plura dedit ex Tullio vir Latinitatis peritissimus Heusingerus ad I. de Offic. 3. *Adfero* semper est medium, quamvis in bonam partem usurpetur. *Adferre aliquid* indefinite Cicero dixit I. de Offic. 44. II. de finib. 27. et alibi: quod quidem ab effectu definiunt aliquatenus ea, quae sequuntur, adnexa per *ut.* Ita de H. R. 20. *Hic vero — — — quid adfert, ut tanta civitas, si cadet, quod dii omen obruant, a viro confecta videatur?* Simillime *quo* consequitur, eaque ratione nihil est notius: veluti V. Tuscul. 7. et III. de finib. 3. *eas* (philosophorum disciplinas) *non modo nihil adferre arbitror, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam;* ita enim recte puto eum locum a Pareo constitutum Lex. Crit. p. 59. quum Lamb. et alii habeant, *nihil adiuvare arbitror, neque adferre, quo* etc. quomodo etiam cod. Barb. n. 1407. mendumque glossemati addant Victor. Grut. etc. *adfirmare* pro *adferre.* Locutio sane quam elegans est, eademque glossis obnoxia magnopere.

Tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus.] Abest *quidem* ab utroque Barb. a meo et a quatuor Britann. item ab editis ante Aldum, quos habeo, et apud Statii scholiast. ad I. Theb. 379. Sed illa huius loci non est omissio, de qua diximus ad II. in Catil. 4. Heumannus comparavit pro Amer. 24. *ne pii quidem sine scelere esse potuerunt*, et in

Vatin. II. *ne recte quidem facere sine scelere potuisti.*

Cederem tempori] Bavaricus, Fabriciani duo, *temporibus*, quod Lamb. receperat.

Nec inter tantam vim armorum existimarem esse oratori locum.] Memmiani codices, *nec enim inter — — orationi locum esse*. Erfurt. quoque, *orationi*, quum Bavar. *oratori* confirmet. Sed ab utroque meliorem ordinem sumpsi: nam ceteri v. *esse* in fine collocant.

Et iustissimi] Mendose ante Ald. editi, *illustrissimi:* sic tamen codices C. Steph. Graev. duo Barb. meus, Britann. tres, et ipsi Bavar. in quo, *illustrissmique*. Hanc lectionem Sabellicus T. I. F. C. Grut. p. 185. et Vossius III. Inst. orat. 2. p. 335. facile refutarunt.

Nec iustitiae suae putaret esse] Heum. coniecit, *putarit*, pro *putabit*, ut *gratum mihi feceris*, pro *facies*. Ad coniecturam comprobandam in Poecile T. I. p. 277. hunc attulit locum pro Rab. post. c. 16. *amicissimum hominem si honestate spoliatum* (Caesar) *audierit, nec sine magno dolore feret, nec id amiserit* (h. e. inquit, amittet) *quod posse speret recuperari*. Ibi adcurata sunt tempora: quum Rabirium Caesar damnatum *audierit*, tum acerbe non tulerit, sed *feret*, neque tum amittet, sed *amiserit, quod* etc. Hic etiam rectum esset *putarit*, sed non pro *putabit:* neque tamen *putaret* deseram, quo satis exprimitur, a Pompeii persona haec abhorrere.

Neque solum ut quieto] Naug. et cod. Ursini, *aequo*.

Quos undique intuentes, unde aliqua pars fori adspici potest, et huius exitum iudicii exspectantes videtis,] Ita plane optimi codices Cleric. Saxon. et Bavar. hi duo etiam recte scribunt *intuentis* et *exspectantis*. Ita Graev. ex Erfurt. tribusque aliis, quibus duo Barb. et meus, et quatuor Britann. adcedunt, nisi quod ordinem deteriorem inducunt, *videtis exspectantes;*

quem tandem nobiscum Lallemandus, addito Paris. codicum testimonio, correxit. At Heum. ad desertam lectionem rediit, *intuentes ex hoc ipso loco cernitis, unde* etc. quam Grut. per negligentiam retinuerat, et postea Olivet. aliique adsciverunt. Sed longe meliorem Ernestus ex edit. Rom. protulit, et probavit, *intuentes cernitis, unde — — et h. e. i. exspectantes, non* etc. Nunc eadem in duobus Britann. inventa est, neque a nostra dissentit, quum quae male inlata fuerant, abiiciat, et *cernitis* habeat pro *videtis*, quae duo verba idem significant. Sane *videtis* non unam sedem habet in MStis, immo v. *iudicii* locum occupavit in cod. C. Steph. et in priore Ven. qui tamen libri habent etiam, *ex hoc ipso loco cernitis.* Ego libris melioribus parendum censui, aliis accedentibus plurimis: Ernesto placuit verbum in medio positum ex Tulliana, ut ait, consuetudine. Utrum eo loco saepius, an extremo posuerit, otiosis inquirendum relinquo.

Cap. II. *Ut vobis voce praeirent*] Egregie Schwarzius hanc locutionem illustrat ad Plin. paneg. p. 559. Eleganter inest acerbitas; quasi formulam ipsam sententiae praeiverint, a qua vel paullulum discedere nefas esset, ut in precationibus, et iureiurando. Male duo Britann. *praedicarent.*

Si qui] Ita, non *quis*, etiam Bavaricus.

Pro vestra salute neglexit.] Brit. unus, et prior Ven. *neglexerit*, alius, *prae vestra salute.*

Locus a. o. dilectis viris datus est, ubi] Barb. primi, et unius Brit. error, *disertis*, non a *delectis* manavit, sed a *dilectis*, quod ipsum est etiam in meo cod. et in alio Britann. quorum tertius cum optimo Bavar. *ut* habet pro *ubi*. Bav. *erga fontis* antique scribit.

Ac per vestram fidem] Restitui *per*, quod Lamb. olim ex MStis. suis addiderat, quoniam exstare video in priore Ven. in Bav. in utroque Barb. in septem Britann. in meo, et in C. Steph. codice.

Quid enim nobis [*duobus*], *iudices, laboriosius?*] Bavaricus caret voce, quam circumscripsi, *duobus*. Potuit sane Cicero Miloni se tantummodo ipsum adiungere: fuit enim eadem utrique factio adversaria. Satis etiam commode locum explicavit Abramius. Sed vehemens est mihi ab optimo libro iniecta suspicio, loqui eum de toto genere optimatium maluisse, quibus perpetuum erat cum seditiosis, turbulentisque certamen: praesertim quum oratorium sit, reorum causam communicare cum pluribus. Itaque generatim *nobis*, inquit, *qui spe amplissimorum praemiorum ad rempublicam adducti*, etc. quod tam late patet, ut sit ex superioribus definiendum, *utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus*. Hi sunt optimates, et auctoritas illa senatus est: quam tamen ad iudices loquens iis quoque tribuit, qui una iudicabant, equitibus, et Tribunis aerariis; ut totum illud consilium, *in quo*, ut ait infra, *ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent*, in optimatibus numeraret.

Metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus.] Editionum Rom. sec. Venet. Aldi, Naug. aliarumque ante Lamb. lectionem revocandam censui, quamvis parum ei sit a codicibus auctoritatis. Nam ut primum a Lamb. editum fuit *suppliciorum*, id amplexi sunt omnes, praeter Heumannum: nemo rationem adtulit ullam, MStorum testimoniis peractum iudicium est. Quae profecto multa sunt, et luculenta: sic enim Fabricii, Lambinique codices, sic ille C. Steph. alius Ursini, Bavar. ambo Barb. et meus. Silet vero Grut. silent Oxonienses, et silet Lallemandus: Graev. etiam notat ex editis varietatem, de suis codicibus nihil dicit. Omnesne igitur horum quoque codices Lambino favent? vix credibile: sed faveant, ut etiam priorem Ven. e Waldarferiana ductam favere video. Fuerit in Heumanno quaedam immutandi, et obtrectandi cupiditas: qua ego certe non teneor, qui MStis optimis

primas deferre soleo. Numerum tamen non reformido: nam errata descriptionibus propagantur, vera pendent a capite, ab antiquioribus scilicet, ac praestantioribus. In his tamen ipsis aliqua sit exceptio. Si enim obsequium flagitat ratio, eadem ab obsequendo deterreat. Raro quidem hoc incidit, at aliquando: veluti hoc loco, quo mihi videor non morbi cuiusdam excusationem habere, sed sanitatis. Potuitne igitur haec varietas a Librariis inferri? quis putet, *exitiorum*, et *suppliciorum* permutata fuisse? quid enim habent simile, nisi quod omnes eiusmodi genitivi, ut similiter desinant. Itaque interpretatio in his verbis versata est. Cui porro, qui *suppliciorum* legerit, in mentem venisse putes, ut interpretandi gratia *exitiorum* adscriberet? est igitur ab interprete *suppliciorum*. Est enim sermone tritum, ac vulgare *supplicium:* contra exquisitius, et rarius *exitium*. Malum vero rerum, ac personarum exitum significat, ut Pontanus ad Macrob. I. Somn. Scip. 10. et Cortius ad Sallust. Catil. LV. 6. docuerunt. Est etiam damnum quodvis, infortunium, pernicies, aerumna. Terentius Andr. IV. 1. 43. *At tibi dî dignum factis exitium duint:* Phorm. I. 4. 23. *quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?* Heumanno satis fuit duos ex hac orat. locos adponere, h. c. 2. et c. 29. Etiam VII. Phil. 5. *paratum illi exitium, nisi paruerit huic ordini:* et I. ad Q. Fr. 4. *ego omnibus meis exitio fuero.* Inprimis huc facit, quod e vetustiore poeta refert ipse Cicero in Orat. 46. *exitiûm examen rapit, pro exitiorum,* et quod indicavit Heum. ex Virgilio VII. Aen. 129. *haec suprema manebat Exitiis positura modum.* Ne plurale poeticum censeas, memento, paullo ante dici, *quos P. Clodii furor rapinis, et incendiis, et omnibus exitiis publicis pavit.* Etiam I. de leg. 12. *recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura seiunxisset. Id enim querebatur caput esse exitiorum omnium.*

In illis dumtaxat fluctibus concionum] Heum. adfert ex c. 1. pro Deiot. *non iniquum est in tuo dumtaxat periculo*, et ex Suetonio Aug. 66. *vitia quoque, et delicta, dumtaxat modica, perpessus*, ut Casaubonum id sollicitantem reprehendat, quem tamen antea refutaverat Gronovius ad Senecam V. de benef. 2. Eum vide. De hoc autem insigni loco Quinctilianus est consulendus VIII. 6. p. 745. Servius ad Aeneid. VII. 586. et Victor. XXXVII. V. L. 7. Quod autem hic initio legit, *et quidem*, monendum est, libros ita dedisse complures. Sed Quinctil. et Servius ad I. Aen. 148. confirmant *Equidem*. Tamen ibid. ad v. 576. pessime editur, *Ego quidem*, et in cod. Barb. *Equidem ego:* sed noluit ipse a se dissentire, quamquam non est aptum exemplum, neque Cicero aliter *equidem* posuit, ac Virgilius, uterque scilicet pro, *ego quidem*.

Quod semper] Codices Lamb. Erfurt. Bavar. et quatuor Britann. cum ed. Rom. *quia*, verum, ut opinor, a glossa.

Ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam] Quinctil. IX. 3. p. 822. *non modo ad salutem eius:* in sequentibus autem nihil variat. Sed utraque Ven. *ne* addit ante *etiam*, ut liceat recte coniicere, *sed ne gloriam*, et *ne* pro *ne quidem* positum dicere, ut II. in Catil. 4. ex ignorata porro eius particulae vi profectam esse vulgatam. Nam, qui certus est, loci sensus postulare videtur, *sed ne quidem*, aut pro Tullii consuetudine *sed gloriam*. Confer quae diximus ad II. Agrar. 20. et Heum. ad c. 2. ad Quirit. Verumtamen et eo loco Agrariae ferri posset *verum etiam*, licet *etiam* rectius absit a *libris melioribus*, et hic nihil tentandum censeo, quum adfinia quaedam reperiantur: veluti pro Marc. 10. *qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis*; et pro Deiot. 5. *tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato*. His ergo locis *etiam* est pro *tantummodo*. Rom. et Hervag. *refringendam:* vide ad c. 6. pro Balbo.

T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute reip. gestis] A meis omnibus ante Grut. editis, et a codicibus Bavar. utroque Barb. sex Britann. et meo abest enclitica. Heumann. itaque audacter, *T. Annii rebus omnibus pro salute reip. gestis.* Grut. codicibus, Graevio tacente, tres Britann. adcedunt, quorum unus etiam fortasse melius cum Palat. tertio eiicit, *omnibus.* Statim prior Ven. et meus cod. male, *ad eius criminis defensionem* pro *huius.* Sed mihi neutrum placet, quia proxime dictum est, *in hac causa*, ut rectius videatur, *in hac causa ad criminis defensionem.* Heum. locum adtulit pro Ligar. 1. ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem *abuterer.*

Nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas] Vetere interpunctione mutata, qua totum hoc, quasi conditio, superioribus adhaerebat, ad ea transtuli, quae sequuntur. Est enim ex duabus disiunctionis partibus prior, cui respondet altera, *sin illius insidiae clariores hac luce fuerint.* Graev. ex Erfurt. *esse factas*, quem secutus Heum. locum comparavit X. Epist. 19. *sic enim vidi, quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari*, quo ex loco nihil aliud conficitur, nisi recte infinitivum sequi, quod nemo negaverit. At hic tanta narrationis evidentia promittitur, ut insidiae oculis ipsae perspici videri debeant. Itaque c. 20. *Res, inquit, loquitur, iudices, ipsa, quae semper valet plurimum. Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis*, etc. Est ibi διατύπωσις sane praeclara. Solus autem dedit *esse* cod. Erfurt. quo cum ceteris caret Bavaricus.

Propter multa praeclara] Hic ordo est in Bavar. qui alios quoque planiores vulgatis habet. Ceteri, *multa propter:* sed conferentium oculos fortasse tam parva res fugit.

Ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit] Lamb. ex suo codice *ut, quia mors*, neque aliter Barb. primus: unus autem Britann. utrumque coniunxit, *ut,*

quia si mors. Sed *quia* est ab interprete: reliqui, inter quos optimi quique sunt, multo elegantius, ut in Topicis c. 3. *Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, idcirco, quae in nominibus fuerunt, legata sunt*; et ita saepe. Vide Tursellin. de partic. p. 494. ed. Patav. et de *si* causali Drak. ad Liv. VII. 13. Eadem elegantia fecit, ut *sin illius* cum Lamb. Graev. Lall. et Ernesto praeferrem: quamquam cum Fabriciano Bavaricus, et alii, quibus utor, exhibent, *sed si illius.* Quod autem ibi aliquid excidisse putat Ernestus; quod non consentaneum, sed dispar esse consequens videatur; ego nihil arbitror amissum esse. Meo iudicio, subacerbe modesta est petitio: quum insidias Miloni factas ostendero, *tum denique*, non antea, a vobis petam, ut eius virtus, et in remp. merita ad hoc unum ei subfragentur, ne, quod insidiatorem occiderit, condemnetur. Hinc c. 30. *si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur, dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri, defensorem fuisse.* Non igitur subacerbe illa dicuntur, *si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur* etc.? Similiter pro Flacco. c. 1. et 2.

CAP. III. *Quae est propria vestrae quaestionis*] Est haec iudicum certe quaestio de criminibus disceptantium, qua in reos inquirebatur, probationesque partis utriusque ponderabantur. Restituendum itaque fuit *vestrae*, ut exstat loco simili pro Cluentio 58. *Reliqua perpauca sunt, quae, quia vestrae quaestionis erant, idcirco illi statuerunt sibi fingenda esse*, etc. Sic autem Bavaricus, sic, Fabricio tacente, Lambinus ex suis, sic denique optimus Modii codex T. V. Facis criticae Gruter. p. 102. Ceteri editi, et plerique MSti corrupte, *nostrae.* Graevius etenim in V. L. falso retulit, *vestrae*, ad editos omnes, aut certe multos, quod unius Lambini est, cui et illum, et Ernestum adsentiri praesta-

bat. Simile autem Demosthenis consilium fuit, de corona c. 5. p. 228. Reisk. quem vide.

Videntur ea mihi esse refutanda, quae et in Senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione ab improbis, et paullo ante ab accusatoribus] Consideranti mihi, quanta hic perturbatio versata sit, atque corruptio, visus est purior, ac verior codex ille Modianus l. c. quem Coloniensem fuisse arbitror, etsi nomen illius non proferat Modius, nisi p. 121. ubi hanc orationem tractare desinit. Quamobrem hunc ad amussim sequi volui, ex eoque addidi *mihi*, quod in aliis omnibus deest, et vocalium concursum iniucundum tollit: deinde alterum *saepe* reieci, quod ab eodem codice abesse video, et a tribus Britann. ab iisque, quos in edit. priore Lambinus adhibuit, licet ex aliis adiecerit in secunda, et *saepe ab improbis* in Bavar. invenerim, ut in Erfurt. aliisque Graevius, quem secuti sunt Heumann. Lallem. Ernestus. Quum necessarium non sit, sedemque habeat variam, non mihi visum est tanti, ut de codicis praestantissimi fide aliquid derogarem. Alii, si lubet, adiiciant.

Omni errore sublato] Ita Barb. primus, et editiones Aldi, Naugerii, Camer. P. Manutii, Car. Stephani, eius codice consentiente, atque Lambini, qui a Fabricianis contra morem discessit ratione ductus, et suorum fortasse codicum testimonio. Nam errores utique refutantur; qui se hominem occidisse fateatur, defendi non posse, duobus praeiudiciis damnatum iam fuisse Milonem, altero Senatus, altero Cn. Pompeii. Recte hanc lectionem a Grut. et Graev. repudiatam Heumannus restituit, addita imitatione Lactantii III. Divin. Instit. 2. 1. *ut, omni errore sublato, veritas patefacta clarescat:* quae tamen imitatio ex Cluentiana manavit c. 30. *veritate patefacta, atque omni errore sublato.* Addendum ex III. de rep. apud D. Augustinum XXII. de civit. Dei 6. *omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato.* Lallemandus quoque no-

biscum facit. Sed Ernestus praetulit *terrore*, quod ex duobus codicibus protulit, defenditque Fabricius eiusque descriptor Schottus III. Nod. Cic. 13. deinde in suis Grut. invenit, tacitus adscivit Graev. et ex Oliveto item taciti Oxonienses, ego denique in Bavarico, Barb. sec. meoque, et in edd. Rom. Venetisque conspexi. Hic tamen suffragiorum numerus, et praestantia veritati concedat, oportet. Quae ut magis eluceat, tota est consideranda sententia: *ut, omni errore sublato, rem plane, quae venit* (vel, ut est in Erfurt. et Bavar. *veniat) in iudicium, videre possitis.* Tenebrae quaedam erant, quae *τὸ κρινόμενον* quod Graeci vocant, obscurarent, et qua de re ageretur, perspicere non sinerent. Erat igitur intelligentia, mentisque acies, discussis tenebris, adiuvanda. Id autem non terrore aliquo auferendo, sed docendo, atque, ut rhetores loquuntur, illustratione obtinendum. Cicero itaquę, ne iudices a *statu causae* aberrarent, ea docuit, quae in epilogo c. 9. coniuncta videmus. Qui denique terror obiectus? certe non alius, quam praesidium, et arma Pompeii. Atqui de hoc et initio, et deinceps agitur separatim. Vide potissimum c. 26, ubi ad extremum *satis*, inquit, *declarat, se non terrorem inferre vobis.* Similiter peccatum fuit alibi, et I. Tuscul. 21. ut vir doctissimus Wolfius animadvertit. Est enim permutatio usitata.

Occisum esse fateatur] Rafinianus de figur. c. 32. *qui a se esse hominem occisum fateatur.* In Barb. pr. verbum *esse* deletum ita fuit, ut tamen adpareat. Sed ab altero plane abest, idem a codice C. Stephan. quinque Britann. et meo, tum ab utraque Ven. Ald. Naug. et Lamb. silente Fabricio, denique a Quinctiliano IV. 2. p. 324. V. 11. p. 429. Quum saepe additum a librariis fuerit, abiiciendum tamen non putavi, quod, eo sublato, clausulae numerus aures non implet meas.

Sororem esse interfectam] Rom. P. Man. omnesque deinceps, *interf. esse*, et ita etiam Diomedes p.

467. Erfurtensis, et Pithoeani ordinem praetuli, quem retinent Bavar. ambo Barb. et meus, editique ante Man. reliqui, et sine varietate Quinctilian. p. 439. Britann. duo *esse* prorsus omittunt.

Recte, ac iure factum esse defendi] Samuel Petitus ad leges Atticas VIII. 1. p. 620. huc retulit Demosthenis locum celebrem adv. Aristocrat. p. 737. Francof. *ἄν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι si quis occisum a se hominem fateatur, sed iure se occidisse contendat*, ea de re legem Atticam quaeri apud Delphinium iubere; quum iampridem maiores intellexerint, iuste aliquando, et sine piaculo id fieri posse. Hanc caedem *φόνον ὅσιον* orator adpellat.

Respondit] Bavar. *responderit*, tam recte, quam supra, *quae veniat in iudicium*. Sed vide Heusing. p. LIII. praef. ad Cic. de officiis.

Neque enim posset aut Ahala] Inmerito vox *enim* suspecta fuit Ernesto, et Schellero p. 118. Ille mallet *vero*, hic *etiam*, fieri tamen posse concedens, ut redundet, cuius rei profert exempla. Quid ita, quaeso? argumentatio contracta est, et exquisita. Recte dixit Africanus, Tib. Gracchum iure caesum videri. Nam, ni ita esset, eius interfector P. Nasica nefarius esset habendus, qui tamen eo facto laudem consecutus est sempiternam. Quum autem in eadem causa, qua Nasica, ceteros constaret esse, qui nominantur, argumento ampliato simul omnes inducti, ne si de singulis oratorie diceretur, *παρασκευαστικὸς* hic sermo fieret longior. In his coacervatis exemplis temporum ordo servatus est, ex quo Nasica, qui initium dederat, secundus est positus. Quod igitur ita cohaeret, ut dialecticam rationem in sinu habeat quasi reconditam, dissolvi non debet. Eam porro vocem comprobant Rufin. c. 23. et Fabius V. 11. p. 440. apud quem *Hala* scribitur, ut in plerisque Tullii codicibus. Ante Lamb. unam vidi ed. Rom. quae diserte habeat, *aut*

biscum facit. Sed Ernestus praetulit *terrore*, quod ex duobus codicibus protulit, defenditque Fabricius eiusque descriptor Schottus III. Nod. Cic. 13. deinde in suis Grut. invenit, tacitus adscivit Graev. et ex Oliveto item taciti Oxonienses, ego denique in Bavarico, Barb. sec. meoque, et in edd. Rom. Venetisque conspexi. Hic tamen suffragiorum numerus, et praestantia veritati concedat, oportet. Quae ut magis eluceat, tota est consideranda sententia: *ut*, *omni errore sublato*, *rem plane*, *quae venit* (vel, ut est in Erfurt. et Bavar. *veniat*) *in iudicium*, *videre possitis*. Tenebrae quaedam erant, quae τὸ κρινόμενον quod Graeci vocant, obscurarent, et qua de re ageretur, perspicere non sinerent. Erat igitur intelligentia, mentisque acies, discussis tenebris, adiuvanda. Id autem non terrore aliquo auferendo, sed docendo, atque, ut rhetores loquuntur, illustratione obtinendum. Cicero itaque, ne iudices a *statu causae* aberrarent, ea docuit, quae in epilogo c. 9. coniuncta videmus. Qui denique terror obiectus? certe non alius, quam praesidium, et arma Pompeii. Atqui de hoc et initio, et deinceps agitur separatim. Vide potissimum c. 26, ubi ad extremum *satis*, inquit, *declarat*, *se non terrorem inferre vobis*. Similiter peccatum fuit alibi, et I. Tuscul. 21. ut vir doctissimus Wolfius animadvertit. Est enim permutatio usitata.

Occisum esse fateatur] Rafinianus de figur. c. 32. *qui a se esse hominem occisum fateatur*. In Barb. pr. verbum *esse* deletum ita fuit, ut tamen adpareat. Sed ab altero plane abest, idem a codice C. Stephan. quinque Britann. et meo, tum ab utraque Ven. Ald. Naug. et Lamb. silente Fabricio, denique a Quinctiliano IV. 2. p. 324. V. 11. p. 429. Quum saepe additum a librariis fuerit, abiiciendum tamen non putavi, quod, eo sublato, clausulae numerus aures non implet meas.

Sororem esse interfectam] Rom. P. Man. omnesque deinceps, *interf. esse*, et ita etiam Diomedes p.

467. Erfurtensis, et Pithoeani ordinem praetuli, quem retinent Bavar. ambo Barb. et meus, editique ante Man. reliqui, et sine varietate Quinctilian. p. 439. Britann. duo *esse* prorsus omittunt.

Recte, ac iure factum esse defendi] Samuel Petitus ad leges Atticas VIII. 1. p. 620. huc retulit Demosthenis locum celebrem adv. Aristocrat. p. 737. Francof. *ἄν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι si quis occisum a se hominem fateatur, sed iure se occidisse contendat*, ea de re legem Atticam quaeri apud Delphinium iubere; quum iampridem maiores intellexerint, iuste aliquando, et sine piaculo id fieri posse. Hanc caedem *φόνον ὅσιον* orator adpellat.

Respondit] Bavar. *responderit*, tam recte, quam supra, *quae veniat in iudicium*. Sed vide Heusing. p. LIII. praef. ad Cic. de officiis.

Neque enim posset aut Ahala] Inmerito vox *enim* suspecta fuit Ernesto, et Schellero p. 118. Ille mallet *vero*, hic *etiam*, fieri tamen posse concedens, ut redundet, cuius rei profert exempla. Quid ita, quaeso? argumentatio contracta est, et exquisita. Recte dixit Africanus, Tib. Gracchum iure caesum videri. Nam, ni ita esset, eius interfector P. Nasica nefarius esset habendus, qui tamen eo facto laudem consecutus est sempiternam. Quum autem in eadem causa, qua Nasica, ceteros constaret esse, qui nominantur, argumento ampliato simul omnes inducti, ne si de singulis oratorie diceretur, *παρασκευαστικὸς* hic sermo fieret longior. In his coacervatis exemplis temporum ordo servatus est, ex quo Nasica, qui initium dederat, secundus est positus. Quod igitur ita cohaeret, ut dialecticam rationem in sinu habeat quasi reconditam, dissolvi non debet. Eam porro vocem comprobant Rufin. c. 23. et Fabius V. 11. p. 440. apud quem *Hala* scribitur, ut in plerisque Tullii codicibus. Ante Lamb. unam vidi ed. Rom. quae diserte habeat, *aut*

Ahala. Apud eundem C. Marius omittitur, qui tamen etiam c. 30. in eadem re merito nominatur, de qua pro Rab. perd. 7. 11. et I. in Catil. 1. 2. Apud Rufinian. l. c. *neque enim potuisset aut ille Hala*, et ex notis, quarum in MStis illius usus fuit, *interf. n. e.* factum est *interimere*.

Etiam fictis fabulis] Additur *etiam* in Bavarico, quod eruit Fabricius ex Saxonico, recepitque recte Lambinus, ac deinde Grut. et Graev. taciti propagarunt. Exstat praeterea apud Quinctilianum c. p. 440. Tamen Heumanno in mentem venit coniicere, *et in fictis fabulis*, eadem sententia, elegantia multo minore. Deerat in editis ante Lamb. deest in tribus nostris et in plerisque. Britann. duo, *effictis* ex *et fictis*, quum *etiam* usitato compendio scriptum pro *et* sumptum fuerit. Eorum alius, et ambo Barb. *memoriae tradiderunt*.

Variatis hominum sententiis,] Sic est in omnibus libris, et apud Quinctilianum l. c. Vox *hominum* Petro Fabro II. Semestr. 25. p. m. 382. incommoda videbatur, eamque delebat Popma ad Varron. VI. L. L. p. 551. Bip. Ammianus apud Fabrum bis habet *variatis sententiis*, Curt. VII. 5. 51. apud Heum. *variantibus*. Lambini docta hunc ad locum consulenda est disputatio.

Non solum divina, sed etiam sapientissimae deae sententia liberatum.] Mendose *n. s. humana* legitur in Barb. pr. in priore Venet. Naug. Cam. in repet. Lambin. quod Lallem. pessime revocavit. Quinctilianum quoque eadem corruptio inquinaverat, ut patet ex Fabro l. c. p. 381. et Burm. p. 440. Sed eius plurimi, melioresque codices cum nostro Barb. habent *divina*, ut Tulliani optimi quique cum Bavar. Barb. sec. meo, et Britann. omnibus, et reliquis editionibus. Editi ante Grut. iam inde a pr. Ven. *sed etiam deae sap.* Gruterianum hunc ordinem servat Bavaricus, ambo Barb. meus, et Britannici, et princeps editio. Fa-

bius adcedit: cuius tamen codex Barberinus, et unus Vossianus, et apud Spalding. Turicensis, isque, quo Campanus est usus, *etiam* omittunt. At loci huius similes non omittunt: in Caecil. 12. *ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter, studioseque audiant:* de finib. I. 11. *non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem:* de nat. deor. II. 38. *dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, divinaque ratione?*

Si se telo defenderet] Ita ex Saxonico, et Bavarico dedimus, quibus adcedunt ambo Barb. duo Britann. et meus, tum editiones Rom. Hervag. et Lamb. Quinctilianus denique V. 14. p. 485. probante Spaldingio. Sic legem hanc Gellius exponens XI. 18. *Furem, qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut, quum faceret furtum, nox esset, aut interdiu telo se, quum prenderetur, defenderet.* Iulius Paullus V. Sentent. 23. 9. *si quis furem nocturnum, vel diurnum, quum se telo defenderet, occiderit.* Neque aliter dedisse suspicor conlatorem legum Mosaic. et Roman. tit. VII. corruptissimo loco, si quidem Tullium descripsit. Iam hic in uno Britanno *defendat* inventum est, quomodo in eadem collatione VII. 3. habet Ulpianus, item Caius IX. Pandect. 2. 4. §. 1. et XLVII. 2. 54. §. 2. Vulgata lectio est *defenderit*, quam comprobat S. Augustinus II. Quaest. in Exod. 84. *impune* scribens *occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit,* quae verba ipsa sunt Ciceronis. Sed observandum est, ei verbo congruere tempora oportere, a quo pendeat infinitivus. Erat igitur *defenderit* Augustino dicendum, quia posuerat, *hoc et in legibus invenitur:* Cicero autem posuit, *voluerunt.* Gellius eadem ratione, *permiserunt.* Neque tueri se vulgata lectio potest alio ipsius oratoris loco pro gentili suo M. Tullio apud Rufinian. de fig. c. 7. cuius diversa est conformatio. *Si quis furem occide-*

rit, iniuria occiderit. Quam ob rem? quia ius constitutum nullum est. Quid, si se telo defenderit? non iniuria. Quid ita? quia constitutum est.

Quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet] Heumannus *id* subaudiri censuit, quod non est certe durius, quam locis aliis, quum late pateat, et saepe, varieque fiat ellipsis pronominum. Ernestus tamen *id* excidisse contendit. Iam antiquitus in Modiano codice, licet egregio, haec prodita est emendatio, quam non hebetes aures profecto respuunt, *quis eum, a quo quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet.* Loquendi modus est elegans temporum Tullianorum, quo Varro ille doctissimus delectabatur inprimis, veluti de L. L. VI. p. 66. *de originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam, qui aliquid nequiverit, reprehendendum:* quem locum, et plures alios ad c. 5. in Vatin. adtulimus.

Ad occidendum hominem] Haec verba desunt apud Diomedem p. 466. Putsch. et apud Quinctil. V. 14. p. 485. etiam in illius codice Barb. qui porro etiam p. 490. Ciceronem dixisse ait, *gladium nobis interim ab ipsis porrigi legibus*, ubi pro *aliquando* sciens posuit *interim*, quum id soleret et ipse eo sensu adhibere. Optime tamen haec adesse censeo.

Cap. IV. *si tempus est ullum — — quae multa sunt*] Virgilius VIII. Aeneid. 427. *Fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo Deiicit in terras*, ubi *quae*, ait Servius, pro *qualia*. Locutio sumpta de Graecis, neque a poetis tantummodo, ut quidam existimant, usurpata. Vide Burmannum ad Quinctil. I. O. IX. 2. p. 790. Statim prior Ven. et quatuor Britann. *certe illud non modo iustum*, omisso verbo *est.*

Tribunus militaris in exercitu C. Marii] Declamandi argumentum hinc rhetores adripuerunt: declamatio exstat inter Quinctilianeas III. quae *miles Ma-*

rianus inscribitur, eique alia subiicitur longe deterioris aetatis, nec dubito, quin multi sese in eadem tractatione exercuerint. Plutarchus in Mario c. XIV. militem narrat non modo absolutum, verum etiam corona donatum fuisse, eamque rem C. Mario in tertii Consulatus petitione subfragatam, quum acciderit in secundo. Tribunum *C. Lusium* vocat ille, consentiente Valerio Max. VI. 1. 12. et Quinctiliano III. 11. p. 293. Quum Cicero *propinquum* dicat *eius imperatoris,* Plutarchus, et Valerius etiam *sororis filium* adpellant. Sed varie nomen militis, obscuri quippe hominis, perhibetur. Valerio est *C. Plotius*, Plutarcho *Trebonius,* atque ita relatum etiam in apophthegm. T. VI. Reisk. p. 761. ubi haec narratio iteratur. Fabius habet, *in causa militis Arunci*, *qui Lusium Tribunum vim sibi inferentem interfecit:* sic etiam in cod. Barb. ut Spaldingius restituit, qui militem cum Turnebo a patria cognominatum existimat. Olim ego *Arruntii* legendum putabam, neque deest praestantium codicum auctoritas, Turicensis, et Bodleiani diserta, tum Guelferb. Bernens. duorumque Vossian. in quibus, *Aruntii.* Nunc vereor, ne rem male geram, si tertium huic nomen, quo incertiores simus, imponam. Quoniam est Valerius antiquior, fortasse *C. Plotius Auruncus* hic est nominandus: haud certe *C. Trebonius Plotius,* ut Cruquius existimabat. Nulla vero est varietas in hac Tullii periodo, ne apud Fabium quidem, qui totam descripsit V. 11. p. 440. Ernesto tamen vox *militaris* adiecta Tribuno videtur aliena manu. Atqui addidit ipse Cicero etiam VI. Philipp. 5. ubi similiter mentionem fecit exercitus, viro doctissimo non repugnante. Valerius quoque, *Tribunum*, ait, *militum a manipulario milite caesum.* Ego certe non ausim idcirco tollere, quia necessaria non est, aliisque quibusdam locis non additur, veluti in Catone maiore c. 6. *et miles, et Tribunus, et Legatus, et Consul versatus sum in vario genere bellorum.*

Ille vir summus] Rom. et cod. meus, et Barb. sec. *ille summus vir*, ut apud Quinctil. l. c. p. 440. Meis auribus gratius foret, *summus ille vir*.

Quae potest inferri iniusta nex?] Ita codices optimi quique, iam inde a Lamb. et Fabricio. Adcedit nunc Bavar. Barb. pr. tresque Brit. atque adeo Priscianus p. 724. cuiùs codex antiquissimus Barb. et alter minus antiquus non discrepant ab his Tullianis, neque aliqua editio, qua Camer. est usus: quum tamen *adferri* sit in Putschiana, ut ipse a primo Lamb. dederat, quem in edit. sec. meliores codices nactum Graev. et Ernest. secuti sunt. Romanae subfragium hic iam prodidit, Fabii autem V. 14. p. 485. Heumannus. In ipso denique Fabio etiam *vero* legendum est ex Turic. et Camp. ut fecit Spalding. non *autem*, ut in ceteris eius codicibus.

Est enim haec, iudices, non scripta] Grut. ex Pall. maluit, *Est igitur haec*, eumque audiverunt Graev. cum recentioribus, et Ernestus. Atque ita sane Bavar. cod. Steph. ambo Barb. meus, et Britann. tum edit. Rom. et apud Quinctil. IX. 3. p. 823. cod. Barb. aliique multi, Eybiana denique excerpta. Iam pauci videntur Ciceronis et Fabii codices *enim* exhibere, quod Naug. invexit, quum ambae Ven. et Aldina habeant *ergo*. Recte tamen id ab Heumanno restitutum existimo. Naugerium secuti sunt Camer. P. Manut. Gryph. C. Steph. et Lamb. Fabricio, et Modio tacentibus. Sed maxima est ipsius Ciceronis auctoritas, qui haec sua recitans in Oratore c. 49. ita posuit: *Est enim, iudices, haec non scripta, sed nata lex.* Locum integrum retulit Manutius. Nulla ibi varietas. An itaque Cicero ipse aliter, atque hic scripserat, retulit? qua de causa? quum idonea nulla sit alia, casus, et memoria est adcusanda. Atqui aptius est *enim*, quam *igitur*, ut iam plus error memoriae profuerit, quam commentatio. Non ex antecedentibus, ut Gruterus putabat, hanc esse legem naturae concluditur, sed

quia legem hanc natura constituit, vitae defensio denegari, ac puniri non debet. Necesse est, inquit, vim inlatam vi propulsare: id quum miles ille fecisset, est absolutus: adversus latrones, et insidiatores comitatum licet, et gladios habere. Quid ita? *Est enim haec non scripta, sed nata lex* etc.

Silent enim leges] Ita cum libris omnibus etiam Servius ad Virgil. IX. Ecl. 11. Sed Quinctil. V. 14. p. 484. ex eoque Capella p. 425. omittunt *enim*, quia non erat apud docentes ei voci locus. Quum hoc de Fabio vir doctissimus acute Spaldingius ostenderit, ego facile ad Capellam transfero: satis etenim illius verba testantur, quae, ut a Grotio p. 166. constituta sunt, proferam. De metaphoris loquitur, et *possumus,* inquit, *ab omnibus sensibus mutuari, ut ab oculis*, lux libertatis, *ab olfactu*, odor legum, *a loquela*, silent leges inter arma, *a gustu*, o nomen dulce libertatis. Fortasse primum illud exemplum e Cicerone II. de orat. 9. *lux veritatis* fuisse, videbatur, quum subiit alterius loci memoria V. in Verr. 61. *ex illo metu mortis, ac tenebris, quasi luce libertatis, et odore aliquo legum recreatus.* Lucanus, ut in viam redeam, I. 277. hinc habet, *Sed postquam leges bello siluere coactae.* De sententia consulendus Gothofredus ad codicem Theodos. IX. 14. 2. In Fabii cod. Barb. docti viri adscribitur emendatio, *quum, si quis exspectare velit.*

Quae non [*modo*] *hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat:*] Lex est Cornelia de sicariis, ut intellexit Abramius. Ea nihil de insidiatore caverat nominatim, sed *tacite* potestatem defendendi dedit, quia *non modo*, h. e. non tantummodo, non dumtaxat, *hominem occidi* vetuit, sed *quaeri* iussit *de capite eius, qui cum telo fuerit hominis occidendi, furtive faciendi causa.* Hanc interpretationem quum ratio ipsa postulat, tum ICti, qui legis verba retulerunt, Marcianus XLVIII. Pand.

8. 1. Paullus V. sentent. 23. 1. Ulpianus in collat. Legum Rom., et Mos. I. 3. et Institut. Iustinian. IV. 18. 5. Manet eadem, etiamsi *modo* abiiciatur, ut de Lambini sententia fecit Heumannus. Est enim elegans, Tullio usitatum, locoque adprime conveniens loquendi genus, *quae non, hominem occidi, sed, esse cum telo h. o. causa vetat.* Quum ita codex habeat, qui antistat omnibus, Coloniensis, ad illam expungendam vocem, quae interpretandi, sive potius declarandi causa saepe addebatur, haec una satis est gravis auctoritas. Viderunt iam pridem acute Lambinus h. l. et Manutius ad c. 19. pro Quinct. hac eiectione vim orationis augeri: quod enim prius est positum, ita deprimitur, ut alterum quod sequitur, magis emineat. Simillimus ille Quinctianae locus: *neque quemquam adtinebat id recusare, quod Praetor non, fieri, sed, ex edito suo fieri, iubebat.* Illud adfine I. de orat. 26. *Est igitur oratori diligenter providendum, non, uti illis satisfaciat, quibus necesse est, sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare.* A. etiam Caecina inter Tullianas epist. VI. 7. *unum tibi si persuaseris, non hoc esse tui muneris, si quid rogatus fueris, ut facias, sed totum tuum esse onus.* Sed multi iam hoc docuerunt exemplis: vide Cortium ad Sallust. Iugurth. XIV. 23. Duker. et Drak. ad Livium XXXVIII. 22. Verumtamen delere penitus hanc vocem nolui, notasse contentus: nam vulgata nihilominus satis bona est.

Cap. V. *Caedem, in qua P. Clodius occisus est,*] Quum ante Gruter. praepositio deesset, ex Erfurt. duobusque aliis MStis a viro doctissimo adiecta est: nunc a Bavarico confirmatur, et ab uno quoque Britann. Retenta postea fuit ab omnibus, unum si excipias Heumannum. Errat vero is vehementer, qui Clodium in tribunatu occisum putet: quo tamen in errore socium habet inlustrem, Nic. Heinsium, quem facile refutavit Broukhusius ad Lucan. II. 480. Infra

similiter c. 6. *tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit.* Quod autem Cannegieterus ad coll. leg. R. et M. I. 6. eam hic redundare censuerit, nihil moveor. Potuit enim dici rectius, *caedem P. Clodii*, amisso illo quasi amfractu verborum, nisi tota potius ea dimicatio significaretur, in qua Clodius est interfectus. Optime rem intellexit Marius Victorinus ad I. de invent. 25. *Senatus caedem, quae in Appia via facta esset, contra remp. factam esse iudicavit.* Nepos in Epam. c. 9. *magna caede facta, multisque occisis.* Et hoc sensu haud raro *caedes* usurpatur.

Quoties enim est illa causa] Ernest. ita scriptum a Tullio fuisse censet. *Quoties enim est illa causa a nobis acta in Senatu, quibus adsensionibus universi ordinis acta est? quam nec tacitis, nec occultis? quando, etiam frequentissimo Senatu, quatuor*, etc. Haec emendatio sine additione fieri nequit, quam libri non comprobant: neque vero causam habet idoneam. Clodii occisionem a Senatu damnatam non fuisse, probandum est. Facto contrario cumulate id ostenditur. Saepe, inquit, causam interfectoris in Senatu egi: semper mihi adsensus est universus: idque verbis apertissime declaravit: universum dico Senatum, quia nunquam quatuor, aut quinque contra senserunt. Totum hoc, interrogationum quasi aculeis quibusdam emissum, in summa oratoria vi Socraticum quiddam redolere mihi videtur. Illud vero est observandum maxime, ex SCi verbis, quod consequens ab accusatoribus putabatur, adsumi: quum etenim dicit, *illam vero Senatus comprobavit*, non pugnam intelligit, quod non poterat, sed unius Clodii occisionem. Rem infra exponit ipse subtilius. Valet hoc ad rem intelligendam, non ad praepositionem, quam modo adseruimus, detrahendam, quae ansam praebuit defensioni. Ea certe in SCo fuit: si Milonis inimici detraxissent, mendacium

Cicero reprehendisset. Immo, quod sequentibus repugnare videretur, a nonnullis imperite deleta est.

Quatuor, aut summum quinque] Jac. Gronov. *ad summum*, quod in omnibus editis est, mendosum intelligens, et a Tulliana Latinitate prorsus abhorrens, ad patris sui praescriptum emendari monuit oportere. Sed ipse nescio quomodo, ex eoque Verburg. *ac summum.* Ego, quum in Barb. pr. in quatuor Britann. et in ed. principe invenerim, *aut ad summum*, abieci *ad*, et *aut* restitui. Haec est enim verior Tulliana locutio, quam etiam Livio reddidit I. F. Gronov. ad XXI. 35. quum ipsi Tullio Victorius reddiderit ad II. Epist. 21. et postea Graev. ad XIV. 3. qui nunc mendum reliquit immemor sui, ut ceteri recentiores, et, quod magis miror, Ernestus. Ita pro Quinct. 25. *biduo, aut summum triduo:* II. in Verr. 52. *unum aliquem diem, aut summum biduum:* III. 87. *duo millia nummûm, aut summum tria:* XIII. ad Attic. 21. *hodie, aut summum cras.* V. ad Div. 21. *excepto uno, aut summum altero.*

Declarant huius ambusti Trib. pl.] Heumann. *declarant id* coniiciebat, verbum hoc non existimans absolute poni solere: sed fallitur. Prior Ven. *declarant hoc ambusti* etc. Ceteri libri cum Asconiano vulgatam recte tuentur. V. Phil. 16. *non enim omnibus Sullae causa grata: declarat multitudo proscriptorum:* XII. 10. *nemo me minus timidus, nemo cautior: res declarat:* IV. Acad. 6. *industriae plurimum in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum:* in Orat: 48. *Purrhum semper Ennius — — — Fruges, non Phryges: ipsius antiqui declarant libri.* Acrius in Clodium de H. R. 3. *quum illum ambustum religiosissimis ignibus cognovi*, etc.

Intermortuae conciones] Unus hic tangitur T. Munatius Plancus, ut docet Asconius, quamquam eodem tempore concionem haberet illius quoque collega Q. Pompeius Rufus: quum excitatum subito incendium Curiae, quae Rostris erat proxima, homines in

concione stantes paene combussit, omnesque metu exanimati fugerunt. Quapropter *intermortuae* conciones Planci dicuntur, quae post illum incendii casum habitae sunt, quibus incitata plebs in Milonem, ipsumque Tullium fuit. Vide Pighium ad ann. DCCI. sed praecipue Asconium. Quod singulis accidit, si quis repentino morbo deficiat, et concidat, deinde spiritum recipiat, et resipiscat, id concioni universae acriter, salseque tribuitur, quae repente flammis perculsa inruentibus, quasi exstincta, ceciderit, tum postea revixerit, iterumque viguerit. Eleganter etiam, et facete Plautus I. Trinummi 1. 6.

Nam hic nimium morbus mores invasit bonos,
Ita plerique omnes iam sunt intermortui.
Sed, tum illi aegrotant, interim mores mali,
Quasi herba irrigua, subcrevere uberrume.

Similiter vero Cicero in Pison. 7. *Quod autem maius indicium exspectatis, nihil inter vos, et Catilinam interfuisse, quam quod eamdem illam manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitastis?* Qui locus emendationem Parrhasii, aliorumque plane confirmat I. ad Attic. 14. *de intermortuis reliquiis coniurationis.* Nam quod ibi editur, *immortuis*, neque Casaubonus, neque Turnebus XVII. Advers. 3. interpretari probabiliter potuerunt. Erant vero illae magna ex clade coniurationis reliquiae superstites; quae *intermortuae* optime adpellabantur. Fracti enim, adcisi, obpressi fuerant coniurati, sed numquam penitus exstincti. Cicero saepe docet, manu eorum reliqua, Clodio duce, vexatam esse remp. praecipue l. c. et ad Quirit. 5. pro Sext. 19. IV. Parad. 1.

Quam aut propter magna] Addidi *aut* ex Bavar. duobus Fabric. Lambinianis, Barb. sec. et duobus Britann. In meo cod. uno Britann. et priore Ven. *quam aut propter officiosos labores* etc. ut facile adpareat, omissa fuisse priora, quod *aut* bis positum esset. In illo autem altero membro additum est *hos* a Graevio,

quem est recte secutus Ernestus. Ita enim Erfurt. Bavar. et Britannici tres, *aut propter hos*: a quibus ordine tantum discrepat Rom. princeps, *officiosos hos;* exhibens. Heum. tamen, qui illud *aut* cum Lamb. receperat, *hos* repudiavit. Equidem video, non interiici necessario: tamen apte forenses labores, in quibus Cicero quotidie, et hoc ipso tempore versabatur, cum demonstrativo pronomine indicantur.

Erant enim leges, erant quaestiones vel de caede, vel de vi] Demosthenes de corona p. 88. ed. Harl. *Εἰσὶ νόμοι περὶ πάντων, καὶ τιμωρίαι, καὶ ἀγῶνες, καὶ κρίσεις, πικρὰ, καὶ μεγάλα ἔχουσαι ἐπιτίμια· καὶ τούτοις ἐξῆν ἅπασι χρῆσθαι. Sunt omnium criminum leges, ac poenae, sunt certamina, et iudicia gravibus, magnisque multis inferendis: atque haec omnibus ad usum exposita.*

Senatui potestas] Hunc locum *Senatui* tribuunt Erfurt. et Bavar. quibus octo Britann. videntur accedere. Graevius veterem ordinem mutavit prior, Verb. Oliv. Lallem. Ernestoque sequentibus. Ceteri mei libri, etiam prior Ven. ne quem Ernesti fallat obscuritas, synchysin illam servant, quam Heumann. praeferebat, *cuius enim Senatui de illo* etc. Eius exempla non desunt. Unus Britann. ea voce caret omnino. Ego vero ab explicante profectam ita suspicor, ut aliam, illam nempe ipsam, quae explicabatur, eiecerit. Nam potuit a Tullio scribi: *Cuius enim de illo incesto stupro iudicium decernendi sibi potestas esset erepta de eius interitu quis potest credere Senatum iudicium novum constituendum putasse?*

Illa defensio] Ita etiam Bavar. Barb. sec. Britann. septem, et meus cum Grut. et Graev. codicibus. Reliqui cum editis ante Grut. *ulla:* nisi quod in duobus Britann. neutrum est. Nihil hac permutatione frequentius.

Nisi vero illa dies, quo Tib. Gracchus] Lambinum in hac tota sententia cum Heumanno secutus, a

Graevio, et Ernesto discessi. Primum igitur praepositionem sustuli, quae ferenda non erat, ut tria *quo* similia fierent, quum priori tantum *in* additum fuerit: atque ita etiam Ferratius I. epist. 12. Deinde veterem ordinem revocavi, *aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica.* Nam haec postrema, quae optimi codices *ad arma Saturnini* tantummodo referunt, quum eius nomini ante *oppressa sunt* continuo subiiciunt, sine dubitatione pertinent ad caedem quoque Gracchorum, quos opprimi e re publica aeque fuit. Qua de causa ne Colon. quidem, eximius licet, codex audiendus, ex quo Gulielmius, *aut arma Sat.* legebat. Haec etenim Ciceronis mens est manifesta, arma civilia generatim omnia rempubl. vulnerasse, tam quae seditiose capta fuerint, quam quae propter necessariam reip. defensionem. Hinc, *ille dies*, pro actis ex utraque parte omnibus illius diei. Varietas ex iteratione verborum, *oppressa sunt*, per interpretationem facta profluxit. Quod quum mea sponte intelligerem, exploratius mihi fecit unus Britann. exhibens, *aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e rep. oppressa sunt.* Fabricii vero silentium ordinem veterem comprobat, et illius codices a Lambinianis non dissensisse declarat. Invectus, opinor, ab Aldo fuit, apud quem primum ego conspexi: servatus deinde tacite in utraque Lambini editione, atque ab omnibus usque ad Graevium, nam Grut. ipse retinuit, qui novum protulit. Hunc vero etiam Bavar. habet, uterque Barb. quinque Brit. et meus, qui tamen omnes cum ed. Rom. et sec. Ven. immo cum Erfurt. et Pith. alio praeterea mendo inquinantur, *non etiamsi.*

Ego ipse decrevi] Quum nempe in Senatu meo loco sententiam dixi: ut recte Cruquius, et Heumannus. Nam Graevii explicatio, quasi hoc Cicero cum animo suo tacite iudicarit, ferri omnino nequit. Sed statim Heumannus sequentia, quae se non intelligere profitetur, emendat perperam, et audacter: *quum cae-*

dem in Appia factam esse constaret, eum, qui caedem fecisset, contra remp. fecisse: sed quum esset in altero vis, etc. Atqui ambo, qui pugnam commiserint, caedem fecerunt. SCum explicat Cicero eodem modo, quo infra c. 11. *Senatus rem, non hominem, notavit.* Se ipsum dicit decrevisse idem, quod ceteri Senatores, *non eum, qui se defendisset, contra remp. fecisse*, ut Milo notaretur, in eumque hoc SCum recideret, quod certe neque Milonis defensor velle potuit, neque aliis ratio unquam persuaserit: id vero decrevisse cum omnibus, rem ipsam, et factum contra remp. fuisse: quo decreto nullum de crimine praeiudicium fieret, de quo apud iudices agendum erat: ut is denique contra remp. fecisse iudicaretur, quem vis, et insidiarum auctorem fuisse constiterit, et ad se armis defendendum alterum coegisse. Heumannum decepit mutatio syntaxeos, quum negationem postulare crederet, ut ab uno verbo *decrevi* membrum utrumque penderet. Postremo, quod emendat, *quum esset in altero vis*, non cogitavit, idcirco dici rem a Senatu notatam fuisse, quod in re ipsa inesset vis, et insidiae, ut c. 11. *insidias factas esse constat, et id est, quod Senatus contra remp. factum iudicavit.* Non igitur vim, et insidias vi repulsas, non defensionem necessariam Senatus notavit. Sed interpretationem posterioris membri optimam dederunt Manutius, Abramius, Ferratius I. Epist. 12. Heumannus ipse: connexionem huius cum priore illi non docuerunt, iste non intellexit.

Novam quaestionem nunc nullam haberemus.] Deest *nunc* in Erfurt. et Bavar. Sed recte adest, etiam numeri causa.

Divisa sententia est, postulante nescio quo:] Haec obscurant interpretando Cruquius et Heumannus. SCum, et lex Pompeia de vi ex SCo lata, de qua Asconius in argumento, continebant haec tria: caedem in Appia factam, incendium Curiae, obpugnationem domus M.

Lepidi Interregis. Incertum est, utrum duo SCa fuerint, unum, quod haec omnia contra remp. facta decerneret, alterum, quod extra ordinem quaeri iuberet, an vero istud quoque uno illo SCo contineretur. Ego, verbis Asconii diligenter expensis, ita statuo: pridie Kal. Martias unum SCum esse factum de tribus illis criminibus, quo nihil sit actum aliud, nisi exprompta notatio. Quum autem Senatus vellet de quaestione rogatus decernere in Q. Hortensii Consularis viri sententiam, ut de his omnibus extra ordinem veteribus legibus quaereretur, Hortensius a Q. Fufio Caleno, non Tribuno plebis (fuerat enim anno DCXCII. novem ante annos), ut Manut. et alii putant, sed Praetorio viro, pro Senatorio iure sententiam dividere iussus est. Ex hac divisione fiebat, ut altera sententiae pars probari a Senatu posset, altera repudiari. Itaque Hortensii sententia ita divisa est, ut separatim patres consulerentur, an extra ordinem quaeri placeret, et an veteribus legibus. Huic secundae parti Plancus et Sallustius Tribuni pl. intercesserunt, quum totam Hortensii sententiam Senatus amplecteretur. His autem placebat nova lex, quam veteribus acerbiorem non dubitarunt laturum esse Pompeium: neque praevidebant, eadem lege, qua Milo caedis nomine, Sex. Clodium propter incendium Curiae, et cum Rufo collega Plancum ipsum, ut relatum a Dione legimus XL. 55. aliosque factionis eiusdem postea perituros. Restabat altera pars, ut extra ordinem quaereretur; de qua tamen SCum neque factum eo die videtur, quum in actis Asconius non invenerit, neque vero fieri debuisse. Nam, quum intercessio veteres leges contra voluntatem Senatus removeret a causa, fieri non poterat, ut patres extra ordinem quaeri iuberent, quin simul ad Tribuni praescriptum novam legem ferendam iudicarent; quod ab amplissimi ordinis gravitate vehementer fuisset alienum. Igitur intercessio, quae ad partem pertinebat, totum SCum impedivit, quod ipsa manifesto indicant oratoris verba,

quae male a Manutio, et Abramio exponuntur, et peius a ceteris: *sic reliqua Senatus auctoritas empta intercessione sublata est.* Vox *reliqua* SCum hoc totum complectitur, quod infactum fuit; quia superiori adhaerebat, ex eoque relatio manaverat. Quum etenim incendium Curiae, et obpugnatio domus Interregis sine dubitatione ad vim publicam pertinerent, caedes autem Clodii, privati hominis, ad vim privatam, legemque de sicariis Corneliam; Milonis inimici obtinuerant, ut haec quoque iis criminibus apud Senatum adiungeretur, quod pugna inter candidatos commissa fuerat, qui armatis hominibus in petitione utebantur: atque ita factum illud, et iudicium, SCo caedem in Appia contra remp. factam decernente, ad vim publicam traductum fuit. Fieri vero non poterat, quin altero SCo, quum de quaestione in eam rem constituenda consuleretur, Senatus extraordinariam decerneret: erat enim vis publica natura sua, legibusque semper extra ordinem iudicanda, ut constat ex cap. 1. pro Coelio, VIII. Epist. 8. etc. Erat igitur priori SCo hoc alterum, quod sublatum fuit, plane consentaneum, ex eoque reliquum. Itaque eodem die utraque de re actum fuisse testatur ad h. l. Asconius. Quod autem ait Cicero, nisi intercessum fuerit, *novam quaestionem nunc nullam haberemus*, existimari vult, novam legem tunc laturum non fuisse Pompeium: et quod Senatum hic ostendit numquam voluisse, id Pompeium dicit c. 6. *sua sponte fecisse.* Sed Asconium audiamus in Argumento ita loquentem: *Pompeius ab Interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Martias mense intercalario Consul creatus est, statimque Consulatum iniit. Deinde post diem tertium, de legibus novis ferendis retulit: duas ex SCo promulgavit, alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam, et incendium Curiae, et domum M. Lepidi Interregis obpugnatam comprehendit.* Vox *statim* non ita est accipienda, ut pridie Kal. Martias de legibus ille retulerit: quod si fuerit,

nihil eo die, quem in actis ipse inspexit Asconius, neque Senatui, neque Hortensio disceptandum relinquebatur: sed omnino Kal. ipsis inivit. Legem vero hanc ex auctoritate Senatus, ut morem maiorum servaret, tulit: quum tamen Senatus propter summam hominis potentiam, *cui totam remp. permiserit* (vide c. 23. et 26.), repugnare non posset. Constat igitur Senatum, quum voluntatem ostendisset suam, necessitate coactum denique aliter decrevisse.

Omnium me flagitia] Additum fuit *me* in sec. ed. Lamb. ex cod. Saxon. a Graevio ex Erfurt. quem secuti sunt Heum. et Ern. Firmatur a Bav. ab ed. Rom. et sec. Ven. In uno Brit. *omnia me*.

Empta intercessione] Hic *furiosi Tribuni empta intercessio* dicitur, et infra c. 17. *mercenarii Tribuni insanissima concio*. Quis eumdem utroque loco significari non putet? Sed incerti reddimur ab Asconio. Is etenim c. 17. quum in actis invenerit, eo die, quo Clodius occisus est, concionatos esse C. Sallustium, et Q. Pompeium, hunc arbitratur intelligi, cuius quippe concio fuerit *seditiosior*. Hic autem verba ipsa concionis postero die a Planco habitae retulit, in quibus est: *adversus hominem ingeniosum* (Hortensium) *ingenio usi sumus: invenimus Fufium* (quam hic amicus Clodio fuerit, vide VIII. Philipp. 5.) *qui diceret, divideret sententiam: reliquae parti ego, et Sallustius intercessimus*. Ita duo empti fuerint Tribuni plebis. Sallustius autem omnium moderatior certe fuit, qui in illo ad Curiam tumultu adesse noluerit, neque damnatus postea cum collegis fuerit. Asconius etiam in Argum. *postea*, inquit, *Q. Pompeius, et Sallustius in suspicione fuerunt, in gratiam rediisse cum Milone, et Cicerone: Plancus autem infestissime perstitit*, etc. Quam hoc de Sallustio credibile, tam de Q. Pompeio non est verisimile, quem Asconius ipse narrat Ciceroni minitatum esse cum Planco, sese diem apud populum ei dicturos. Hunc vero C. Sallustium

Crispum historicum eximium esse non dubitant in eius vita Vossius, et Clericus. Iam quod ad suspicionem adtinet acceptae pecuniae, liberatur ferme Sallustius: nam inimicum Miloni sua sponte fuisse constat. Emptus igitur a Clodio, dum viveret, Q. Pompeius. De Planco vero quid dicam? paene dixerim a Cnaeo Pompeio. Is enim in gratiam cum P. Clodio redierat, eiusque malis artibus, turbisque favebat occulte, is Metello Scipioni socero suo aderat in Consulatus petitione, Milonemque competitorem illius timebat, et obpugnabat acerrime, is denique Planci armabat audaciam, quem postea sua ipsius lege reum, sceleribus coopertum, ausus est laudibus prosequi, commendare iudicibus, potentia eripere conari. Plancus certe, ut in omnibus, ita in hac intercessione princeps fuit, eumque Cicero maxime oderat, ut VII. Epist. 2. ipse testatur. Dionem vide XL. 55. sed illam in primis ad M. Marium epistolam: in qua hominem haud scio, an de criminatione purget acceptae mercedis. Ait enim: *hic simiolus animi causa me, in quem inveheretur, delegerat, persuaseratque non nullis invidis meis, se in me emissarium semper fore.* Adcedit, quod vox *empta* suspecta est. Nam in MStis optimis Pith. et Erfurt. in cod. C. Steph. in utroque Barb. in meo, septemque Britann. atque adeo in tribus meis ante Aldum editis *inepta* legitur. At callida, et adversariorum rationibus congruens adprime fuit. Asconii cod. et Bavar. pro vulgata faciunt. Si fuerit *iniqua*, vel simile quidquam, probarem. Nunc, quoniam T. Plancum significari non dubito, non tam quaerendum arbitror, quis vere pretio conductus fuerit, quam quem Cicero potissimum oderit, atque despexerit. In alio Brit. *adepta.*

Cap. VI. *In Appia via*] Deest *via* in Saxon. a quo Lamb. non modo contra morem discessit, verum etiam paullo ante c. 5. ex suo cod. dedit, *quum caedem in Appia via factam esse constaret,* eumque secuti sumus et constantiae caussa, et quod semper ita

scripsisse Asconium vidimus. Neque aliter in SCis, et legibus.

Occisus fuit.] Ita iam inde a priore Ven. nisi quod Lamb. *occisus est*, et C. Steph. ex suo cod. *occisus esset*, quod erat in Rom. principe, et in Bavar. esse video, in Erfurt. in utroque Barb. et meo, et sex Britann.

At paret.] Vulgatum *patet* ab Heum. praefertur, quod ita sit c. 28. qui locus nihil huc facit: neque contendet quisquam, *paret* esse legendum, ubicumque legitur *patet.* Scioppius II. suspect. lect. 20. recte maluit *paret*, quod a Saxonico est, probantibus Lamb. Graev. Lallem. Ernesto: quamquam hic in adnot. subdubitat, sed *paret* in iudicio aptissime dicitur, quamvis omnibus constet, quum sit apud iudices facti confessio. Schellerus p. 118. commune verbum esse ait pro *adparet*; quod ipsum exhibentes optimi alii duo, Erfurt. et Bavar. nostram certe lectionem confirmant.

Vidit igitur] Adiecit *igitur* ex MStis suis Lamb. firmavit Erfurt. et nunc Bavar. Receperunt Graev. Lall. Heum. et Ernestus.

Nec vobis] Lamb. *neque vobis*, quia *neque quaeri* antecedit: sed contra libros, et exempla non pauca. Iure itaque a Pareo reprehenditur, quem citavimus ad c. 15. in Pison. ubi vide.

Putarit] Recte hoc invaluit ex Fabricianis, et Erfurt. quibus adcedit Bavar. et quatuor Britann. Mendose vulgatum erat, *putet.*

Cap. VII. *Domi suae*] Fabricius ex cod. Saxon. protulit *domui*, eumque genitivum adfirmat aliis apud Tullium locis se reperisse, atque ad Tusculanam III. adnotasse. Ego quoque idem in Bavar. inveni. Usurparunt utique Ciceronis aequales, ac familiares, viri doctissimi, M. Varro, et P. Nigidius, Gellio referente IV. 16. quibus C. Caesar addendus, quum in omni Latinitate, tum in ea declinatione subtilis, ac diligens. Ut enim veteri genitivo *domuis* dativus *domui* est con-

tinens, ita *domui* est *domu*, qua dativi forma Caesarem delectatum ex Gellii l. c. et ex Nonio, aliisque cognoscimus. Vossium II. de analog. 17. 18. et in addend. ad pag. 332. consule. Ciceronem igitur decebant hae formae ex intima suae linguae scientia: neque penitus ab eo repudiabantur, quamquam consuetudini plurimum tribuebat. Sed quum Gellii temporibus haec iam obsoleverint, emendatores exstiterant, qui omnia eiusmodi tollerent. Quid postea factum censemus? vestigia vix manent aliqua, obscura, atque contempta.

Huius nostri iudicis] Nescio, quomodo Ursinus Catonem in hac caussa iudicem non fuisse crediderit. Fuit enim omnino: infra c. 16. testatur iterum Cicero, Velleius II. 47. et Asconius ad c. 35. qui dixit adeo in Argumento, unum pro Milone Ciceronem dixisse, Catonem vero Miloni cum aliis optimatibus adfuisse, antequam iudex legeretur.

Esset illata?] Bavar. duo Britann. et meus cum edit. Rom. *esset allata?* me non probante. Etiam paullo post, *mors illata per scelus.*

Quis tum non ingemuit?] Lambinum ita ex suis MStis emendantem sequi placuit, quibus consentientem habeo priorem Venetam. Est enim proprium huius loci verbum, atque ita totidem verbis ipse Cicero in Vatin. 13.

Omnes esse cuperent] Deest *esse* in uno Brit. et melius afuturum puto.

Teneatur] Quod coniecit Heum. *tenetur*, id inveni editum in Romana, et fortasse verum est. Potuit enim facile *teneatur*, quod antecedat *intersit*, obrepere. Sed *intersit* concedentis esse videtur, ut c. 17. *quaesierit sane — — servum etiam corruperit*, deinde adseverantis, *tenetur*. Sed vulgata minime contemnenda, in qua duplex est adfirmatio, interesse inter dignitatem vivorum, et omnium occisionem aeque puniri debere. Unus Britann. *summorum virorum, atque infimorum.*

Parricida] Lamb. *patricida*, ut in Memm. et Cleric. codicibus, atque ita etiam in utroque Barb.

Si qui Consularem patrem] Ex Erfurt. et Pithoeano ita scripsi, ut saepe a doctis viris est factum, quum praesertim habeant *qui*, omisso *si*, cod. Steph. et meus, et uterque Barb. et quatuor Britann. ed. Rom. et ambae Venetae. Omnes vero libri retinent, *si quis humilem*, ne vocales, credo, concurrant.

Proinde quasi] Vulgo, *perinde*. Commutatio est fere perpetua, et vix *per* a *pro* dignoscitur in MStis. Bavarico parendum censui, qui diserte *proinde* habet, a quo non dissentit meus, et quatuor Britann. Grut. et Graev. plane tacent: quamquam Lamb. iam olim ita dederit,' aliique antea. Pro Quinct. 14. *proinde quasi factum sit*, et alibi millies. Sed in utramque partem valent exempla. Est vero *perinde* similitudinis proprium, et aequalitatis adverbium, *proinde* consequentiae. Sed hoc etiam posse pro *perinde* usurpari constat ex versibus potissimum Lucretianis. Utrumque scite positum legimus apud Sallustium Iugurtha IV. 8. *proinde quasi Praetura, et Consulatus, atque alia omnia huiusmodi, per se ipsa clara, et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est.* Nam in formula, quam secundo loco ponit, *proinde* vix dicitur, et sicubi est, librariis lubens tribuo semper haec permiscentibus. Eadem ratio est alterius loci hoc ipso capite, *perinde quasi exitus rerum*, ubi similiter Bavarico parui, et Lamb. quinque Britann. et meo, etc. *Proinde quasi* refutationem notat eius rei, quae superius est posita, consequens alterius absurdae, quae sequitur.

P. Clodius] Necessarium P. Clodii nomen, quod hic deerat, a Grut. ex MStis optimis restitutum habet etiam Bavar. et duo Britann. unus iniuste reiecit Heumannus. De hoc M. Papirio videndus Asconius infra ad c. 14. quo vera narrante, idem hic esse potuit, de quo locus exstat obscurissimus pro Domo c. 19.

Illa commemoro?] Lamb. *illam*, ex suis codicibus, h. e. Appiam viam. Ita etiam cod. meus, Barb. sec. a manu prima, tresque Britann.

Num qua rogatio lata? Num qua nova quaestio decreta est?] Toleratum ab omnibus *num quae* cum Lamb. et Heum. emendavi. Lambini diligentiam laudo, aliorum optimos codices conferentium desidero. Auctor est cod. Saxon. et Barb. alter: Hinc autem in uno Britann. *numquam*. Confundi haec saepissime, compertum est. Heumannum vide ad cap. 7. pro Deiot. Ernest. in Clavi p. 739. Gifan. Obs. L. L. p. 448. ed. Altenb. Westerhov. ad Terent. prol. Heaut. v. 44. etc. ubi *quae* versus causa praefertur. Alius Brit. omittit *est*.

Cuius in vita nitebatur salus civitatis] in somn. Scipion. 2. *tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus.*

Quo si unus ille cecidisset] Vulgata, *occidisset*. Non semel adnotavimus, haec permutari solere, veluti ad c. 7. in Sen. et 36. pro domo. Ex iis porro, quae ibi diximus, vulgata defenditur: est enim veritati propinquius, si Pompeius interisset, omnes gentes, quae certe non interitum pariter, mortemque pati potuissent, exitium a Clodio accepturas fuisse. Nam quae pro Sext. 30. *promulgata, sperata, promissa, conscripta, cogitata* dicuntur ad orbem terrarum vexandum, ea omnia, occiso Pompeio, Clodius perfecisset. Adde pro domo 10. et 23. Est autem in ipso Bavar. *occidisset*. Verumtamen de Graevii sententia praetuli *cecidisset*, ex Erfurt. Regiisque codicibus, quos contulit, et secutus est Lallem. quod in eadem sententia et elatius est, et concinnius. Si Pompeius *cecidisset*, omnes gentes *concidissent*, h. est, simul occidissent: ut primum *cadere* sit mori, deinde adfligi, et everti, qua dilogia id efficitur, ut omnes simul gentes videantur interiturae. Infra c. 13. Milonis gloria dicitur *morte Clodii cecidisse*: Ovidius ex Ponto IV. 6. 14. *Ipsum morte tua concidit auxilium*. Etiam in Pison. 12. de

Clodio, et Gabinio inter se pugnantibus, *si uterque cecidisset:* Suetonius in Claud. 34. *quum par gladiatorum mutuis ictibus concidisset.* De loco, quo servus deprehensus fuit, conferendus ille Pisonianae locus. Bavar. *atque in vestibulo ille Senatus.*

Punienda] Lamb. *poenienda*, neque aliter Erfurt. et Bavar. qui *poenitenda*. Sic iidem, *poeniendum*, *poenitus es*, *poenitor*, c. 13. et 31. Pareus iam Lex. crit. p. 943. omnes huius orationis locos, quibus hanc scripturam veteres libri exhibent, collegit, et alios adiecit. Etiam Heinsium vide ad Virgil. XI. 381. Davisius, et Wolfius I. Tuscul. 44. ex libris optimis, et Nonio, *poeniantur* (ita enim cum Wolfio legendum; nam Dav. *poeniuntur*) et ibid. III. 27. *ipse se poeniens.* Sic idem Lamb. pro Murena 32. ex cod. S. Vict. *poenierim*, et, *poenivi.* Hoc ego doctissimos viros libentissime secutus essem, si orthographiam omnem suam Ciceroni reddere instituissem. *Nisi vero* pro *nisi forte* dedi ex iisdem codicibus, Ernesto, etsi non receperit, adprobante.

Quoties ego ipse] Bav. *quotiens ergo ipse:* firmat nimirum *ego* a Graev. additum ex Erfurt. Non habet *vel* ante *mea* cum eodem cod. quod optime tamen est restitutum: quamquam utramque additionem repudiat Heum. sed receperunt Lallem. et Ernestus.

Cap. VIII. *Tota civitas confecta senio est:*] Pro moerore, ac tristitia *senium* posuit, quod ex iis efficitur, ut de H. R. 18. *senium matricidarum*, quomodo ex multis, bonisque libris legendum censuimus: neque poenitet, quamvis hoc vocabulum, tamquam scaenicum, magno vir ingenio, atque doctrina Wolfius repudiarit. *Senescere* omnia dicuntur, quae languent, et squalent, ut hic notavit Abramius: quum color, valetudo, viresque deficiunt, adolescentibus *senium* est, ut in Oreste olim ostendimus, quem tristi cultu, et tabescente corpore describit Euripides v. 879. *κατηφῆ, καὶ παρειμένον νόσῳ*, et *tristem* induci iubet Horatius A.

P. v. 124. Id quum ei loco esset aptissimum, quo respectus est ad tragoedias, nunc ad civitatem omnem, populumque Romanum transferri videmus. Eadem ratione pro Cluent. 5. de muliere adolescente, *in huius amantissimi fratris sui manibus, et gremio maerore, et lacrymis consenescebat:* et pro Sext. 51. *otio et tranquillitate reip. consenescebat.* Persius I. 26. *En pallor, seniumque.* Horatius I. Epist. 7. 85. *amore senescit habendi.* Neque vero inter aegritudinum nomina *senium* erat quaerendum, quum non genus aliquod sit aegritudinis, verum a senectute ad angorem animi transferatur. Ad agnos transtulit Varro R. R. II. 2. 17. *quum depulsi sunt agni a matribus, diligentia adhibenda est, ne desiderio senescant;* quem locum Abramius adtulit, cuius in similibus congerendis diligentia est incredibilis.

Non fuit ea causa, iudices, profecto non fuit,] Ex Fabric. ambobus *profecto* receptum est a Lamb. et ante *iudices* collocatum: Grut. ante *causa* retraxit, cui adsensus Heum. est; neque aliter in Bavar. Nos Graevianum ab Erfurt. ordinem retinuimus cum Verb. Oliv. et Lallem. qui etiam in quinque Britann. inventus est, quum plane absit a quatuor, ut abest a nostris. Ernestus, hoc addito adverbio, de vi negationis detrahi censet: quod non videtur Cicero existimasse, quum etiam pro Flacco 22. dixerit, *non est ita, iudices, non est profecto,* et in Vatin. 4. *quid quisque nostrum de se ipse loquatur, non est sane, non est requirendum.* Varietas potius ordinis suspicioni favet.

Sapiens, atque alta, et divina quadam mente praeditus] Quum ante Lamb. *et divina* deesset, Heumanno, et Ernesto in suspicionem venit glossematis. Parrhasius vero male *alta* repudiat, et defendit *alia,* quod ex facili commutatione habent editi veteres, quatuor MSti Britann. et meus. Graevius additionem codicum Fabricii duorum, et Erfurt. adscivit: quam quidem in omnibus Brit. MStis exstare vix est credibile;

sic tamen Oxoniensium existimare silentium iubet. Sed exstat in multo illis meliore Bavarico, ex quo uno *atque alta* dedi pro *et alta.* Additionem primum ita defendo, ut *divina quadam* esse aptius dicam, quam *alta quadam*, quod neminem arbitror negaturum: deinde haec in Laelio coniungi c. 9. quae non plane synonyma certe sunt, quum quidem ne synonyma quidem Heumannum offenderint ad c. 19. *Mens* autem, quum ad consilium, et prudentiam eius hominis referatur, quem sapientissimum videri vult, non modo *alta*, quae, tamquam e specula, plus ceteris videat (hanc enim Graevianae interpretationi praefero, eiusque rationem vide apud Cortium ad Sallust. Iug. XCV. 1.) verum etiam *divina* quodammodo dicenda fuit, quae sapientiae deorum proxima videatur; unde c. 16. de prov. Cons. *sapientes, ac divini fuistis.* Hunc Cicero summis laudibus adhibere cumulum solet: ut infra c. 33. de M. Coelio, *singulari, divina, et incredibili fide,* ut l. de orat. 38. *Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis, et divina vis ingenii:* et ordine converso in Milonis laudibus pro Sext. 39. *divini hominis — divini, insigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate, fide praediti:* haec etenim vox id omne continet, quod est maxime admirabile, ac singulare.

Fuisse illum sibi inimicum, familiarem Milonem] Totum hoc adiectitium Heumannus existimavit, quod grammatice cum ceteris non cohaereat, et quod percommode abesse possit. Experiri prius omnia, quam ad amputationem tantam deveneris, oportebat. Haec certe pertinent ad reconciliatam cum Clodio gratiam, cuius obscurior esset commemoratio, nisi haec antecesserint. Ergo percommode adsunt. Cicero autem argumenti quamdam tamquam basin aliquando statuere ita solet; quod philosophi est adcurate, ac dilucide disserentis; ut ex certis, et manifestis incerta, et obscura demonstret. Hic ex duobus factis antecedentibus con-

silium sequens arguitur: quod brevius fieri qui postulet, nae ille brevitatem ipsam longam putat. Quid, quod illa ipsa argumenta, quae tota in facto sunt posita, simili ratione constituuntur? Exemplum supra vidimus c. 5. atque adeo vindicavimus. *Illam vero Senatus* etc. Est hic ad ornandum elegans orationis artificium: tantum abest, ut locus nexu grammatico careat. Quid enim vetabat dicere, *quum fuerit sibi ille inimicus, familiaris Milo?* Nunc superiori *vidit* primum argumentationis gradum tantummodo per infinitivum adtribuit: sive per syllepsin inde subpleas, *cogitavit*, sive ipsum *vidit* ἀπὸ κοινοῦ ita repetas, ut ad sensum deflectas subiectis congruentem. Quamquam ne opus est quidem his adiumentis: nam Pompeius, quum id fuisse vidit, eius rei vidit habendam sibi esse rationem. Tecta est exprobratio, veteris inimici mortui causa veterem, et fidelem amicum ab homine levissimo impugnari.

Cupisset] Ita mei codices omnes, et P. Man. C. Steph. Lamb. Ernest. veteresque ante Aldum, ex quo invaluerat, *cupiisset*.

Cum bonis.] Sic etiam Bavaricus, ut Grut. ex Erfurt. et Werdensi: qui tres hic soli sani sunt. Videtur tamen Brit. unus adcedere. Male ceteri, *cum multis*, quod ex superiore loco imperite petitum, quo negatur vivi posse cum multis.

Nihil quaesivit, nisi iustitiam] Delevi *aliud*, auctore Bavarico. Neque dubito, quin ita optimi alii dederint, haud diligentissime adhibiti. Ita Ciceronem, ac Terentium locutos, apud Tursellinum videbis. Plautus etiam Curcul. II. 1. 7. *Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.*

Tulit, ut Consularem necesse esset] Ellipsis quidem hic est, sed non ea, quam emendando absurde vult Heumannus inducere. Emendat enim, *necesse est*, ut explicare possit, tulit legem ita, ut Consularem hominem eam ferre necesse est. Quid postea? ipse vi-

derit. Pompeius certe non erat eo tempore Consularis adpellandus, quum tertium gereret Consulatum. Ergo, *ut Consulem necesse est.* Nugae. Subaudiendum est, quod dictum est ante, *huic quaestioni praeesse.* Hinc sequitur, *ex Consularibus te creavit potissimum*: fuerat enim L. Domitius biennio ante Consul cum Appio Claudio.

Quam contemneres populares insanias,] Manutius ubi *quod* pro *quam* legerit, nescio: certe sic tuetur, quasi editum invenerit. Eius non bonam esse causam ostendit Gesnerus T. IV. Thes. p. 56. quamvis multa ille moveat ad VII. Epist. 28. IX. ad Attic. 19. X. 4. Unice verum est *quam*, et in omnibus, quos novi, libris exstat, immo in ipsis editionibus, quas habeo, Manutiorum: firmatur autem ab Asconio, et a Diomede p. 468. qui tamen perperam pro *insanias* habet *insidias*, ut ambo Barb. sex Brit. et meus, ed. Rom. et utraque Veneta. Verbum illustrant et hic Heumann. et ad I. de offic. 22. I. M. Heusingerus, quod in plurali sit rarius. Quam in rem nihil eo Sextianae loco est illustrius c. 51. *in qua omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt.* Asconius mihi denique corrigendus. Sic enim editur. *Constantiam L. Domitii, quam in praetura praestitit, significat. Nam eo tempore, quum Cn. Manlius Tribunus pl.* etc. Lege, *C. Manilius*, ex fragm. pro Cornelio, et infra, *Manilianorum.* Quum autem constet, L. Domitium anno DCXCIV. Praetorem, C. Manilium Tribunum anno DCLXXXVII. fuisse, patet omnino, aliam in Asconio mendosam esse lectionem, *in Praetura*, legendumque arbitror, *in Quaestura.* Errat Pighius, quum huius loci causa Cn. Manlii cuiusdam Tribunatum anno DCXCIV. confingit. Corradus ad Brut. p. 390. ed. Florent. mendum utrumque perspexit, recteque monuit de Manilio substituendo, sed perperam censuit, vel, *in Praetura*, tollendum, vel, *in Praetura Ciceronis*, esse legendum.

Et electi iudices, isque praepositus quaestioni] Erat, *et isti praep.* sane quam inficete. Lamb. et Graev. restituerunt *isque* ex duobus Fabric. et Erfurt. quibus addo Bavar. Paruerunt Lall. et Ernest. qui tamen hic excidisse aliquid suspicatur. Quid tandem? nam par superioribus, et certe, quam potest, plenum hoc est, quum sequatur, *qui haec iuste, sapienterque disceptet.* At relatio verbi ad unum facta Quaesitorem peperit, meo quidem iudicio, mendum, etsi nihil est usitatius, quam verbum ad propiorem personam, et numerum adcommodare. Nam, quum non unus Quaesitor, sed iudices simul disceptent, quo de verbo Tullii locos exhibens Schwarzius ad Plinii paneg. XXXVI. 5. Observ. 39. copiose disseruit, vox *isque* clamat, ante positum, *ii,* fuisse, nimirum ut legi debeat, *et ii lecti iudices, isque praepositus quaestioni, qui* etc. Supra c. 8. *delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina.* Asconius in Argumento: *Aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales proposuit, ut nunquam neque clariores viros, neque sanctiores propositos esse constaret.*

Nisi uter utri insidias fecerit] Ab uno Brit. plane abest, *fecerit,* in Barb. sec. recentiore manu est suprascriptum, a meo codice ita non agnoscitur, ut in eius margine manus eadem adnotarit, *sub. fecerit,* h. e. subaudi, *fecerit;* quae adnotatio in praestantem ipsum Pithoeanum recepta plane ridicule locum inquinavit, *uter utri subfecerit insidias.* Sed ea non est huius loci aposiopesis, quamvis exemplis certissimis muniri possit: neque Bavar. aliique optimi favent.

Quo facilius argumentis perspicere possitis] Hottom. coniicit, *sine argumentis:* melius Heumann. *quo facilius, ac luculentius p. p.* Sed nihil opus emendatione. Narratio argumenta subpeditabit, eaque tam *clara,* ut dicuntur c. 23. ut non coniicere, sed insidias perspicere plane possitis. Haec evidentia illa est, quae iam c. 2. promittebatur, ubi vide.

Cap. IX. *Effugere vellet*] In cod. Pith. in Brit. tribus, et meo deest, *vellet:* sed in meo lacuna relicta, et in margine alia manu *cuperet* adscriptum. Alius Brit. *effugere volebat*, eorum alius cum ed. Rom. et sec. Ven. habet tantummodo, *effugeret*, prior Ven. *effugeret vellet.* Rectum est, *effugeret*, tum per se, tum ad voluntatem significandam, quomodo c. 26. positum *tolleret*, et similiter sane multa. Haud idcirco tamen a vulgata discedam, quam et libri alii praestantes, et Bavar. mihi commendat.

Seseque] Erfurtensi, et Bavarico parui: alii, *seque.*

Ut fit,] Ita meliores quique libri, et Bavar. Servarunt scilicet duo haec verba, quae perierant. Solum restabat *ut* in Pith. et duobus Brit. quod in quatuor aliis, et ed. Rom. glossema peperit, *non ut moveretur r. al.* In meo spatiolum est vacuum, et *usus* in margine, ut fieret, *non usus r. al.* Haec ad mendorum fontes indagandos pertinent.

Occurrebat] Erfurt. addit *ei*, quod Graevio placuit, et Ernesto: sed iuste suspectum fuit Heumanno: nam et saepe omittitur, et facile subauditur. Neque vero in Bavarico exstat, qui tam saepe cum Erfurtensi consentit, sed est, ut comperimus, aliquando fidelior. In priore Ven. dubium est vestigium additamenti, *et mancam.* Sic autem Sulpicius Victor p. 265. Capp. *Occurrebat, et mancam, et debilem futuram Praeturam suam, Consule Milone.* Sed vox *enim*, quae in tribus Britann. conspicitur, ex *ei* fluxisse videtur, quicum illa frequens est permutatio. Neque tamen suspicio tollitur. Servius ad V. Aen. 278. *mancam, ac debilem fore Praeturam suam.* Asconius in Argumento: *praeterea in eumdem annum Consulatum Milo, Clodius Praeturam petebat, quam debilem futuram, Consule Milone, intelligebat.* Metaphoram illustrat locus pro Rab. perd. 7. *Q. Scaevola — mancus, et membris omnibus captus, et debilis.*

Collinam novam dilectu etc.] Ita cum aliis optimis etiam Bavar. et meus, tresque Britann. Locus est perobscurus. Ad ambitum certe pertinet, quo in crimine pro Planc. 18. numeratur non modo *populi descriptio*, quod facile intelligitur, verum absolute quoque *conscriptio*. Sic ibi: *decuriasse Plancium, conscripsisse*, et c. 19. *conscripsisse, tribules decuriavisse*. Sed quaenam illa conscriptio? quaecumque fuerit, Clodius tantum perditissimorum civium numerum conscripserat, ut Collina tribus, quae maxima erat, maiorem tribulium numerum non haberet. Alii videant.

Servos agrestes] Iulius Severianus rhetor p. 339. bene scribit *agrestis*, sed male omittit, *Etruriamque vexarat*. Erant Clodii possessiones in Etruria prope Aureliam viam, ut ex XII. Phil. 9. cognoscimus. Ibi facinorosorum familias Clodius alebat, quibus ad vim faciendam uteretur. In fragm. orationis de aere alieno Milonis nuper editis p. 35. *Eosdem ad caedem civium de Apennino deduxisti:* quo loco reliquias exercitus Catilinae horum mentione indicari docet Scholiastes, qui ea fragmenta servavit. Vide ad c. 5.

Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse] Herodotus IV. 201. *μαθὼν, πῶς Βαρκαίους, ὡς κατὰ μὲν τὸ ἰσχυρὸν, οὐκ αἱρετοὶ εἶεν, δόλῳ δὲ αἱρετοί Barcaeos intelligens per vim capi non posse, per dolum posse.*

Cap. X. *Ad Flaminem prodendum*] Scholiastes in Argumento: *Interea Milo factus est Dictator Lanuvii, ut sacrificium faceret Iunoni Sospitae, et Flamines procrearet.* Legendum est: *Flaminem proderet:* vel, si mavis, *crearet*, quae alterius verbi est explicatio, ex quo syllaba remansit prior. Infra c. 17. *Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat.* Hoc sacrificium, sive in prodendo, sive in Flamine inaugurando fieret, anniversarium fuit, ut is fuisse Flamen annuus videatur. Nam erant in munici-

piis aliquibus quinquennales, interdum etiam perpetui: sed, quum ea tempora in antiquis titulis notata videamus, existimare licet, annuos plerumque, quasi communi iure, fuisse. Certus erat huic rei dies constitutus, a. d. XIII. Kal. Februarias. Quum autem celeberrimum Lanuvii esset Iunonis Sospitae templum (*Sispitam* vocant antiquarii) hunc ei deae Flaminem adtributum facile cum Abramio putes, ipso adiuvante Tullio, qui in suis, quas ex more conficiebat, legibus II. 8. *Divisque*, inquit, *singulis Flamines sunto.* Sed observandum est, municipales Flamines a diis cognominari non consuevisse, verum sui quemque populi nomen adiungere. Ita hic *Flamen Lanuvinorum* adpellatus fuerit. Quae causa fortasse fuit, cur deae nomen a Tullio reticeretur: sed certe, quum esset unicus, nihil addere oportebat. In creandis porro Flaminibus proprium, ac sollemne verbum fuisse *prodere* (Diali excepto, qui *capi* dicebatur, ut monet Gellius I. 12.) insignis docet rhetoris Fortunatiani locus p. 92. quem adtulit iampridem Brissonius 1. de formul. 199. Iam vero in dictaturae causa falli Scholiastem, ne monendum est quidem. Illud potius animadverto, quod valde miror, Appianum II. Civil. 20. hoc Milonis iter alia de causa, quam quae apud Tullium, et Asconium certa, et necessaria cognoscitur, susceptum tradere; quasi nimirum is offensus Pompeio Lanuvium abiret, petitione Consulatus abiecta: quod quidem suspiciose iacit. Verumtamen Appiani narratio ibid. 21. 22. atque Asconiana cum hac oratoris maximi conferendae sunt, ut, qua sit arte contexta, perspicias. Dionis locus addendus XL. 48.

Quoad Senatus dimissus est] Ita plane Bavar. ut olim emendavit Aldus senior, et Sabellicus T. I. facis Grut. p. 185. Alii optimi, et quatuor Britann. videntur accedere, quum tamen in Erfurt. ipso una litera desit. Plurimi, *quo a Senatu:* etiam duo et Barb. apud Quinctil. IV. 2. p. 333. Ille vero alium habet

ordinem, *est dimissus*, quem servat codex meus in Tullio. Victorinus ad l. de Invent. 25. locum ita contrahit: *in Senatu fuit, domum venit, calceos, et vestimenta mutavit, profectus est;* ne scilicet plus verborum ponet, quam in rem suam necesse sit. Fabius l. c. hanc esse dicit *callidissimam simplicitatis imitationem:* deinde, *quam nihil,* inquit, *praeparato, nihil festinato! — frigida videntur ista plerisque: sed hoc manifestum est quomodo iudicem fefellerit, quod vix a lectore deprehenditur.* Haud tamen absconditum est quidquam, ut ex Asconio patet ita scribente: *constitit, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum forte obcurrisse.*

Id temporis] Est tam sero, inquit Graev. qui explicationem huiusmodi suam adversus Manutium tuetur ad XIII. ad Attic. 33. Sed virum summum decepit sensus consequens, qui non semper est idem, ex quo de natura formulae ullius iudicari non debet. Quid enim, quod l. in Catil. 4. ad *mane,* quod antecedit, refertur *id temporis?* quod *id aetatis* etiam de puero dicitur? Recte pro Manutio stat Cortius ad VI. Epist. 21. Bavar. *dein profectus id temporis.* Fortasse delendum, *est*, Pithoeano adsentiente.

Quum hic insidiator] Quinctil. V. 10. p. 410. *Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio: ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu: ille in equo, hic in rheda: ille expeditus, hic paenula irretitus.* Latius infra c. 20. et 21. haec disputantur.

Magno, et impedito, et muliebri — comitatu.] Saxon. Erfurt. duosque Regios Paris. codices deserere nolui sic exhibentes: quamquam in Bavar. id ipsum reperi, quod iudex optimus probavit Ernestus, *magno impedimento,* eiecto glossemate, *vulgi,* quod facit etiam Barb. primus. Nam secundus, quinque Brit. et meus cum editis ante Ald. *vulgus,* pauci *vulgo*, plerique *vulgi,* quod male ab Heum. defenditur, et in

Gesneri Lexico retinetur. Servi armati in impedimentis numerari non possunt, de quibus c. 21. *nec vero sic erat umquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus:* ubi alia nulla Milonis impedimenta recenseri videas, nisi *pueros symphoniacos uxoris, et ancillarum greges,* quibus et hic, et c. 20. adduntur uxor, rheda, paenula. Haec *magno* erant utique *impedimento*, et hanc vocem si retineas, eo referas. Probarem, nisi numerus me singularis offenderet: videtur enim Tullianum fuisse, *magnis impedimentis,* ut modo, *nullis impedimentis*, et c. 21. *iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.* Contra Ernestum in nostra lectione offendebat cumulus adiectivorum. At oratio sic trahitur, ut lentum incessum, et multitudinem comitantium exprimat, et insinuet. Sic autem c. 20. *quum alter veheretur in rheda paenulatus, una sederet uxor: quid horum non impeditissimum?* etc. Vestigium restat in Barb. ambobus, in meo, in sex Britann. in ed. Rom. et utraque Ven. quo ducimur ad veriora, *magno, et impedimento:* nam coniunctio satis indicat, unde fluxerit, *impedimento.* Codices Lamb. *vulgo magno, et impedito,* ut, sublato glossemate, nobiscum faciant.

Aut non multo secus.] De hac formula, quae singulari quadam ratione hic adhibetur, vide Menckenium in Observ. L. L. p. 899.

Desiluisset] Ita recte, non *desilisset*, quod etiam mendosi codices habent Servii ad II. Georg. 384. et ad III. Aen. 416. contra mentem ipsius. Consulendus est Burmann. ad Suet. Caes. c. 64. Passim etiam *disilio*, et *desilio* commutantur, ut h. l. Vide Barth. ad Stat. I. Theb. 309. Barber. prim. *cum hic de rheda*, omisso *autem*, ut apud Servium. Marius Victorinus ad I. de invent. 25. *Ad Albanum pervenit, impetus in illum factus est: tum ille reiecit paenulam, de rheda desiluit* (ut etiam Diomedes p. 371.) *se defendit, Clodius occisus est.*

Recurrere ad rhedám] Barb. sec. a manu prima, et prior Veneta, *irruere ad rhedam.*

Qui animo fideli in dominum, et praesenti fuerunt] Mendose vulgo, *in dom. erant, et praesentes.* Lamb. emendavit ex duobus Fabricianis, ex Erfurt. Graev. quem secuti sunt omnes, praeter Heum. qui mirifice reduxit *erant*, delevitque contra omnes libros *fuerunt.* Britannici duo carent v. *erant:* sed Bavar. cum melioribus facit omnino. Terent. Phorm. V. 7. 64. *Animo virili praesentique ut sis, para.* Virgil. V. Aen. 363. *animusque in corpore praesens*, quod Heum. adtulit opportune.

Milonem occisum et ex ipso Clodio audirent, et revera putarent] Ex optimis libris, meoque sensu locum ita constitui, Lamb. et Graevio praeeuntibus. Vulgata fuit haec, *Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, et ita esse putarent.* Nihil erat, cur Heum. recte totum hoc dici probaret: nemo etenim, qui neget, inveniri profecto potest. Ernest. parum Latine doctum hominem *revera* intulisse contendit. Adfirmat quidem, non demonstrat. Immo licet utrumque coniungere, ut III. ad Attic. 23. *hoc quum re vera ita sit.* Sed patefacienda est superiorum interpolatio, ut quid praestent optimi codices, intelligatur. Primum supra *et domino* habet prior Ven. et Naug. ceteris deinceps obsequentibus, uno excepto Graevio, qui recte delevit *et*, quo carent Erfurt. Pithoean. Bavar. ambo Barb. Britann. sex, et meus, et alii ante Naug. editi. Deinde male *occisum esse etiam* legitur in Ald. Naug. et Hervag. Tum *etiam* deest in vetustioribus. Sed optime princeps editio cum Lambini codicibus, utroque Barb. septem Britann. et meo, *Milonem occisum et ex ipso Clodio audirent:* cui lectioni minus apte subiicitur, *et ita esse putarent*, quum plane postulet, *et re vera putarent*, quod Fabriciani duo, Erfurt. ac Bavar. soli exhibent: h. e. Milonem re vera occisum, etsi non esset, existimarent. *Revera* igitur glossema

non est ad apertissimum illud *ita esse* explicandum: sed contra *ita esse* additum ad *revera*, eius deinde occupavit locum, idque ut accidit, cetera, ut apte cohaererent, interpolata fuerunt. Ita Lamb. suos codices secutus in superioribus, quod statim ex Fabricianis restituebat, eo ipso comprobavit.

Servi Milonis] Duo haec verba eiicienda esse decernunt Heum. et Ernestus: quamquam in omnibus libris exstant, non modo Tullii, verum etiam Quinctiliani IV. 2. p. 348. VII. 1. p. 588. Repetitio est usitata propter hyperbaton: cuiusmodi si omnes tollere nequeas, unam aliquam tollere, ratio non est. Porro est sane mirandum, a Fabio c. p. 588. de hoc loco ita iudicari: *at haec tam timida defensio detrahit auctoritatem illi, qua recte dicebamus occisum.* Hoc ad huius orationis vituperationem cupide Putmannus adripuit p. 23. At certe reprehendere ille noluit, quem in hac ipsa causa tam saepe laudat; sed more suo consectatur argutias. Rectius, quia simpliciter, III. 6. p. 260. *pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto — quum ille iure, tamquam insidiatorem, occisum, et tamen non Milonis consilio, dixerit.* Et VI. 5. p. 577. *et factum laudavit, et tamen voluntatem Milonis removit.* Sed optime rhetor alius, Iulius Severianus p. 337. *Scias numquam confitenda esse, quae nocent; interdum non neganda: quod Cicero pro Milone secutus videri potest. Nam interfectum ab eo Clodium, neque negavit, neque fassus est: non negavit, quia sic defendit, tamquam occidisset; fassus non est, quia, inscio illo, dixit a servis occisum, quum hi dominum peremptum arbitrarentur.* Confer Sulpicium Victorem p. 260. Haec autem apud Fabium sermonis est consecutio. *Tutius, si noluit,* insidiatorem occidere. *Fecerunt ergo servi Milonis, neque iubente, neque sciente domino.* Coniuncta divellit, atque pronomen *id*, quod Cicero posuit, argutandi causa praetermittit. Hoc igitur quum servi

fecerint, in eos reiicitur, quasi non recte factum, et ab se culpa repellitur. At constantia, quae confitentem decet virum fortissimum, est retinenda. Quomodo? *Adiicietur*, inquit: *quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.* Ita et servi laudantur, et dominus factum comprobat, ac defendendum recipit. Quae vera sit huius loci laus, quam prudens, ac docta rei significandae ratio, Graecorum exemplis Muretus VII. V. L. 23. et ad h. l. Abramius docuerunt.

Neque sciente] Deest hoc in meo cod. in utroque Barb. tribusque Britann. et in priore Ven. quod tamen abesse non debet. Appianus II. Civil. 21. simulasse Milonem dicit, neque imperante se, neque volente, Clodium interfectum fuisse. Rem vide, quemadmodum gesta sit, apud Asconium.

CAP. XI. *Vi victa vis*] Hanc παρίσωσιν cum aliis ex hac oratione iam observavit Victorius XXVII. V. L. 11. Vossium etiam vide IV. I. O. 2. 4. et quae adnotantur ad c. 31. pro Coelio. Livius quoque III. 49. *vi victum imperium:* et Lucretius I. 856. *Ex oculis nostris aliqua vi victa perire.* Periodum totam refert Quinctilianus IV. 4. p. 358.

Nihil dico] Bavar. vulgatum ordinem sic invertit. *Quid res publica consecuta sit, nihil dico.*

Si id iure non posset] Erfurt. et Bavar. *si id fieri iure non posset.* Ernestus non dubitat, quin Tullius dederit, *potuisset.* Heusing. ad III. de offic. 19. ita eum refutat, ut *posset* doceat pro *potuisset* elegantia non carere bonae Latinitatis. Heumanno idem visum erat. Vellem docuissent, *posset* ita posito, recte sequi, *nihil habeo, quod defendam.* Mihi mutatione levissima *possit* emendandum videtur. In Partition. c. 29. *Distinguendi gratia rationem adpellamus eam, quae adfertur ab reo ad recusandum, depellendi criminis causa, quae nisi esset, quid defenderet, non haberet.* Quod illi codices optimi addunt, *fieri*, tantam glossematis speciem habet, ut a recipiendo deterreat.

Certe optabilius Miloni fuit] Ernestus *fuisset* de coniectura edidit, hoc ratus a superiore *putasset*, atque ab ipsa re postulari. Quantum sua virum summum opinio fefellerit, ostendit iam Heusing. p. LXIX. praef. ad Cic. Officia. Cortium adde ad Sallust. III. Histor. in orat. Macr. n. 1. Sic etiam infra c. 22. *quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt* etc. ubi *fuissent* immerito a Grut. adscitum videbimus. Denique I. Tuscul. 21. *ex quo intelligi potest, quam acuti natura sint, qui haec sine doctrina credituri fuerint.* Ibi *fuerunt,* quod praetulit Davis. inveni etiam in ed. Rom. 1469. neque tamen post *qui* facile adoptaverim: nam ille dedit etiam *quoniam,* cui adversatur verissima observatio Wopkensii I. Lect. Tull. 4. p. 19.

Quod multis in causis iam saepe quaesitum est] Ita Lamb. ex Fabricianis, quibuscum Bavar. plane consentit, et una minus re, qui *iam* omittit, Erfurtensis. Eiectum iam a Graev. Ernesto, aliisque restituendum putavi, quod in vulgatis exstat, et ab optimis comprobatur. Erat autem vulgatum, *quod multis antea in causis iam quaesitum est.* Oxonienses ex quinque MStis notant *antea,* de *iam,* quod item delerunt, ac de *saepe,* quod retinent, plane silent. Heumannus Erfurtensi obloquitur, et vitiose scriptum pronunciat, ad Lamb. non adiit, sibique fraudem ipse fecit.

Insidias factas] Quod *factas, factum, factae* proxime res coegit ponere, id Ernestus negligentiae cuidam tribuit, quam *gratam* vocat, quasi formosam aliquam puellam inornatam adspexerit. Schellerus contra in stili praeceptis p. 672. 736. gravitatem inesse putat, nescio quam. Id vero facile docet, repetitiones eiusmodi non esse damnandas: quae aliquando ita sunt necessariae, ut, effugere si velis, nihil proficias, nisi ut inepto labore te maceres, et, perspicuitate sublata, vitiosa fiat oratio. Livii locus I. 44. in hanc rem celebratur inprimis.

Senatus rem] Quam sit hoc rationi iuris consentaneum, vide apud ICtorum doctissimum Cuiacium T. VIII. p. 354.

CAP. XII. *Tum nos*] Lamb. coniecit, *tum ut nos*, Ernesto probante. *Impune* valere *impunitum*, quippe quod adiective sit positum, recte notavit Heuman. addito Livii loco I. 58. *haud impune adultero fore*. Plautus quoque Mercat. IV. 6. 4. *id si rescivit uxor, impune est viro.*

Cui bono fuerit] Graev. *cui* homini, aut rei minus recte explicavit. Heumannus, et antea I. F. Gronovius V. Observ. 9. dativum esse personae ostenderunt: adde interpretes ad II. Agrar. 2.

Ut iis Consulibus] Scripsi *iis* cum P. Man. Car. Steph. et Lamb. ed. priore, quum codices fere ubique scribant *his* ex pronunciandi consuetudine. Vide ad c. 7. pro Cluent. Nihil certius.

Speraret posse se eludere in illis suis cogitatis furoribus] Mendosum erat, *sperasset*, recteque *speraret* ab Ernesto receptum ex Erfurt. cui nunc aeque praestans accedit Bavar. ex quo mutavi etiam veterem ordinem, *se posse*, neque dubito, quin *posse se* aliorum in conferendis aliis codicibus diligentiam fugerit. Quum autem vulgata sit, *remp. eludere*, voce *remp.*, quam sustuli, carent non modo iidem duo codices optimi, verum etiam Pithoeanus, uterque Barb. septem Britann. et meus, editionesque Rom. ambae Ven. et Aldi senioris. Melius dici arbitror, *eludere in furoribus*, h. e. bacchari quodammodo, et quasi per ludum, ac iocum, nemine resistente, audacissime omnia permiscere, subvertere, quam *eludere remp. in furoribus*; quae locutio tam offendit Heumannum, ut summa confidentia totum illud eiiciendum putarit, *in illis suis cogitatis furoribus*. Neque vero *cogitatis*, qui rem norit, repudiare poterit. Unum ex multis locum adfero c. 32. *obstabat eius cogitationibus nemo praeter Milonem*. Facile *remp.* ab interprete addi potuisse

intelligo, qui vim non adsequeretur verbi *eludere* absolute positi, ut *exultare in ruinis, in crudelitate, in funeribus*, quas locutiones ex Tullio ad c. 41. pro Sext. adnotavimus, et hanc iis adiunximus, quum iam multos ante annos ita legendum intellexerimus. Neque dubito, quin ita restituendum sit etiam I. in Catil. 1. *quamdiu etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?* Turbat magnopere locum lectio vulgata, *nos eludet*, ut Muretus, et Clericus recte interpretari nequiverint, Buherius ad emendationem confugerit, *nos elidet*, quae probari non potest. Sed Donatus ad Terent. Eun. I. 1. 10. *nos* omittens persanat omnia, et illuminat, quem secutus est, aut certe descripsit Pareus Lex. crit. p. 412. quamquam a loci sententia ille aberravit. Adcedit varietas collocationis in MStis. Etiam pro Sext. 43. fortasse fuit: *hos sic eludere, quibus omne supplicium, atque omnis iure optimo poena debetur:* ubi parvo discrimine exstat *illudere*. Sed certe III. in Verr. 4. *istum rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere:* ut Livius I. 48. *satis illum diu per licentiam eludentem insultasse dominis.* Idem II. 45. *adeo superbe, insolenterque hostis eludebat:* et XXXVII. 32. *indignum facinus esse, Phocaeenses — impune eludere.* Denique unus maxime adpositus Taciti locus est XVI. Annal. 28. *Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum, in iisdem furoribus, simul Paconium Agrippinum, et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem, eludere impune sinerent.* Taciti animo hunc Tullii locum obversatum sensit Ernestus, neque tamen emendavit.

Nec, si possent, reprimere cuperent] Traiectio est in omnibus libris absurda, *nec, si cuperent, reprimere possent:* quod simile sequentibus est, *et, si vellent, fortasse vix possent*, quibus debet obponi. Manutius retraxit, ut necesse est, *possent*, eiusque loco

posuit, *cuperent*, eique omnes obtemperarunt, praeter Lamb. qui *vellent* optime eodem loco maluit, libris veteribus, ut ait, adiuvantibus, Abramio postea plaudente. Ita illud *cuperent* exsularet, quod tamen in ceteris omnibus superest. Hoc igitur mihi sumpsi, ut loco inferiore id collocarem, ubi longe melius habitabit, quum inde translatum fuisse videatur in superiorem.

Pestes reip.] Probavi hoc asyndeton ex Erfurt. Bav. Pith. utroque Barb. septem Brit. et meo, quod etiam in pr. Ven. exstat. Vulgo, *et pestes*.

Exhibe librarium] Cum duobus Lambini codicibus etiam Palatinus apud Pareum Lex. crit. p. 674. unus Britann. et prior Ven. *libellarium*. Bavar. cum Saxon. *liberarium*, et alio mendo Pith. *liberalium*. Dubia est electio, nec multum interest. Librarium a libellario differt, ut liber a libello. Forcellinus putat rectius esse *librarium*. Qui comperit, exiguum non fuisse? Ego tutius existimavi. Erfurtensi *exhibe* bis in aliis positum triplicanti, solus soli paruit Graevius, cui tamen adhaereo. Nam etiam infra c. 25. *tuas* ter habent libri meliores, terque *valeant* c. 34. item I. in Catil. 1. *nos, nos, dico aperte, nos Consules desumus*, ut quidem is locus legitur apud Priscianum, et Capellam, mecum adprobante Buherio. Silius XVII. 324. *Te vero, te, te exstimulem*, etc.

Eripuisse] Deest hoc verbum in uno Britann. et in ed. principe: sed recte adest. Virgilius VI. Aeneid. 111.

Illum ego per flammas, et mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Dedi autem *eripuisse domo*, ut paullo post, *eiecisti domo*, et Terent. Adelph. II. 1. 44. *domo me eripuit*, mendosum existimans vulgatum *e domo*, quum minime Tullianum hoc loco sit. Confer etiam Drak. ad Livii epit. XIX. Barb. sec. et ambae Ven. *et e mediis armis*.

Sustulisse] Erfurt. *extulisse*, quod unus praetulit Graevius, neque alio in codice quisquam invenit.

Videlicet] Ita recte codices Fabricii, et Lamb. Erfurt. et Bavar. quibus unus Britann. accedit, et meus, cuius est id in margine pro varia lectione. Lamb. Graev. Ernest. merito receperunt, abiecto vulgato *inde*.

Atque instrumentum] Reieci *ac*, quod ante Lamb. regnavit, et a Graevio, et Grut. male relatum fuit. Habent *atque* non modo Lambini codices, verum etiam Barb. ambo, et meus, et ed. Romana, et ita ex uno ab se inspecto codice Burmannus ad Sueton. Caes. 26. verissime restituebat. Vide quae diximus ad c. 27. in Pison. Idem Lallem. et Ernesti iudicium fuit. In uno Brit. deest vox *tribunatus*, quae haud incommode abesset.

Et adspexit me illis quidem oculis] Sic plane apud Asconium, Quinctilianum IX. 2. p. 783. et Priscianum p. 1211. Barb. pr. *adspiciebat:* omnes alii libri in hanc vulgatam consentiunt: tantummodo in editis ante Lamb. video, *quidem illis*, quomodo meus cod. perperam, et ambo Barb. Heumannus tamen emendare audet, *Sed adspicit me.* At iampridem Cruquius recte monuit, positum *et* initio esse periodi, ut Graeci solent suum *καὶ* ponere. Quum autem Sex. Clodius de librario legum compellaretur, iratus Ciceronem fingitur minaciter adspexisse. Itaque *adspexit* recte dicitur, et nihil refert, utrum tempus praesens, an praeteritum adhibeatur. Nam II. Philipp. 30. *adspicis me, et quidem, ut videris, iratus:* et Varro I. R. R. 2. 7. *simul adspicit me, certe, inquit*, etc. Coniectus oculorum hoc verbo exprimitur. III. de Orat. 31. *si modo adspexerit.* Parad. II. *quocumque adspexisti.* Plautus Casina V. 3. 2. *Nec* (scio) *meam ut uxorem adspiciam contra oculis.*

Omnibus omnia] In utroque Barb. in meo, in omnibus Britann. in ed. Rom. et binis Ven. deest vox *omnia*, quam etiam in prima sua editione Lamb. omi-

serat. Ceteri usque ad Graev. et postea, *omnia omnibus*. Sed ordinem codicis Fabriciani, quem sequimur, ne dum ipsam vocem *omnia*, Ascon. Quinctil. et Priscian. locis modo citatis. Tantum *solebat* omittitur a Prisciano.

Cap. XIII. *Tu me iratum*] Bavar. *tu me tibi iratum, Sexte, putas, cuius inimicissimum multo etiam crudelius penitus es*, h. e. ut dedit Lamb. ex suo cod. *poenitus es*. Vide ad c. 7. Fortasse alterum *tu* delendum est. De ipsa locutione plurimi egerunt: Laurenbergii Antiquarium, et Graev. ad l. de offic. 25. citat Heumannus: alios Burmannus ad Quinctil. I. O. IX. 3. p. 800. Tullianos in primis locos collegit Heusing. ad Vechneri Hellenolex. I. 1. 5. p. 98.

Tu in publicum abiecisti] Mei omnes ante Grut. editi, Barb. uterque, meusque cod. et septem Britann. cum Pith. et Franc. *eiecisti:* ut II. de Orat. 58. *in viam eiicere*, et in Pison. 9. *ab hoc eiecto cadavere.* Sed haec verbi proxime positi negligens est repetitio, describentibus tribuenda. Britann. octavus, *extulisti*, nonus cum Grut. *iecisti*. Secutus itaque sum Fabricianos duos, Erfurt. Regios Paris. et Bavar. optimos omnes in egregia lectione, quam Lamb. in ed. altera invexit, Graevio, Lallem. Heum. et Ernesto adprobantibus. Cicero ipse in eadem Pisoniana c. 33. variandi causa, *qui abiectum* (ut etiam infra c. 32.) *hoc cadaver*, inquit, *consularibus spoliis nudare non nolint.* Tamen altera lectio exstat aeque probanda, quam Lamb. in ed. priore posuit, in sec. pro varietate margini adlevit, *proiecisti*. Hanc defendit optime summa vir doctrina, et elegantia Ruhnkenius ad Rutil. Lupum I. 13. ubi etiam hunc locum imitari Rutilius videretur, si per codices liceret, quorum testimonio deficitur. Etiam I. Tuscul. 43. *proiici se iussit inhumatum.* Rutil. l. c. *familiam — vinctam in publicum proiecit praedo.* Lucretius III. 892.

Vivus enim sibi quom proponit quisque futurum,
Corpus utei lacerent volucres in morte, feraeque,
Ipse sui miseret: neque enim se vindicat hilum,
Nec removet satis a proiecto corpore.

Sophocles in Aiace v. 828. πρῶτος ὥς με βαστάσῃ —

Καὶ μὴ πρὸς ἐχθρῶν του κατοπτευθεὶς πάρος
Ῥιφθῶ κυσὶν πρόβλητος, οἰωνοῖς θ' ἕλωρ.
— ut me praevortat tollere —
Ne conspicatus hostis quispiam prior
Feris, proiectum dedat, et volucribus.

De verbo ῥίπτω vide infra ad c. 37.

Infelicissimis lignis semiustulatum] De lignis infelicibus Lipsius, Heinsius, alii, et ad h. l. Abram. et Heumann. egerunt. Quum vero dicuntur *infelicissima*, longe maior notatur infelicitas, quam sit eorum, quae *infelicia* nominantur: quippe quae non, ut illa, in funerum, ac suppliciorum usum nata, immo honore quodam potita, quum ex iis fuerint subsellia Senatorum confecta, et tribunalia Praetorum, perierint tamen miserrime, rogumque cadaveri P. Clodii praestiterint. *Semiustulatum* hinc sumpsisse videtur Orosius IV. 11. Habet etiam Varro apud Nonium p. 634. Gothofr. ubi tamen *semustilatus* editum est a Mercero p. 263. quum ed. Ven. 1490. et Aldina Perotti 1513. nihil varient. Plautus vero Rudente III. 4. 64. *Teque ambustulatum obiiciam magnis avibus pabulum:* ut infra c. 32. *amburereture abiectus.*

Nocturnis canibus] Ex Homerica formula, *κύνεσσι, οἰωνοῖσί τε πᾶσι*, quam Graeci postea, Latinique maxime frequentarunt, detraxit aves, addiditque *nocturnis*, quia de celeberrimo urbis loco agebatur.

Quare, etsi nefarie fecisti,] Vulgo, *quam rem etsi necessario fecisti.* In ea sese torquebat Abram. adquiescebat Heum. nihil inde, quod probabile sit, interpretando elicientes. Manutio idem, Cruquioque contigerat. Cur mendosam esse non fateamur? Nam quo-

modo expromi in ea re potuit, quam invito necessitas imposuerit? Sex. Clodius haec omnia fecit cum Clodianis Tribunis, ut populum concitaret: dux autem is unus fuit ad P. Clodii cadaver, Curiamque per tumultum inflammandam, ut videbimus c. 33. Necessitatem omnem Asconius in Argum. et Dionis XL. 49. locus excludit, ipse denique Tullius c. 32. *Nec vero*, inquit, *non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam*, etc. Recte autem, ac iure Sextus dicitur *nefarie fecisse*, quum inimici crudeliter funere homines privent, amici certe multo crudelius. Supra: *cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare:* et c. 32. spoliatum ait Clodium *illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent.* Huius loci restitutionem codici Saxon. duobus Graev. aliisque Lallem. debitam confirmat plane Bavaricus. Est tamen *quare* etiam in priore Ven. in meo cod. in Barb. sec. duobusque Britann. idemque Barb. et meus, aliusque Britann. *necessarie*, factum omnino ex *nefarie.*

Laudare non possum] Negationem, nullo adiuvante codice, detraxit Heumannus, explicavitque, non immerito laudarem. At, si factum hoc fuerat, ut ipse censuit, necessarium, neque laudari poterat, neque vituperari. Firmant haec nempe superiorem codicum optimorum lectionem tam aperte, ut ipse sibi contradicat Heumannus. Ratio autem, cur Sextum laudare non possit, illa est, quia nefarie fecit. Ernestus itaque, ut planius hoc diceretur, ita refingebat: *quam rem etsi, quia nefarie fecisti, laudare non possum, tamen, quoniam — tuam, irasci certe non debeo.* Verissima haec est explicatio, non autem lectio. Non modo enim, ut verba nunc sunt, idem dicitur, verum etiam paullo fortasse melius. Quamobrem, inquit, etsi nefarium fecisti facinus, tamen, quod eo facinore inimicum meum punitus es, laudarem, si nefarie facta laudari umquam possent, certe, quum id non possim,

saltem irasci non debeo. Laudare se dicit non posse, quasi diceret, si possem, laudare vellem: reliqua ita iunguntur, *etsi nefarie fecisti, tamen irasci non debeo.*

Solutam autem fore videbatis, ni esset is Consul] Adieci *autem*, et *ni* pro *nisi* exhibui ex uno Erfurtensi. Nam *et* quidem, cui non convenit omnino cum adiectione, abest a Grut. codicibus, utroque Barb. sex Brit. et meo, tum ab editis ante Grut. eumdem omnibus. Bavar. *et solutam fore*, ut Brit. tres. *fore* autem vidi in meo, in utroque Barb. quinque Britann. et priore Ven. quum ceteri habeant *esse:* quia plerique, *solitam esse.* Grut. etiam ex suis, et Lamb. antea ex utroque Fabric. recte *constringere* pro vulgato *confringere.* Bavar. adstipulatur cum cod. C. Steph. utroque Barb. octo Britann. et meo, et ed. Rom. De Clodii Praetura, tamquam de bellua, loquitur: etiam fortasse ipsa excidit belluae mentio: confer infra c. 15. et pro Sext. 7. 41.

Eum Milonem unum esse] Optime Lamb. *unum* ex optimis libris addidit, quod etiam in Bavar. inveni. Editio Rom. loco verbi *esse* illud ipsum posuit. Infra c. 32. *Milo unus urgebat.*

At nunc, P. Clodio remoto,] Vulgo fuit, *At non, P. Clodio mortuo.* Quum ante Naug. vox deesset ultima, ut in utroque Barb. octo Britann. et meo, primus ille intulit, *mortuo.* Deinde Lamb. ex Fabrician. *At nunc, P. C. remoto.* Brit. nonus firmat *remoto:* a duobus ex eodem numero *nunc* comprobatur: utrumque a Bavarico, qui ab aliis optimis nihil discrepat, quorum ope locus est persanatus. Cornelius Nepos in Dione VII. 1. *adversario remoto*, h. e. Heraclide interfecto. Ernestum vero *nunc* repudiare, valde miror. *Singularis illa huic uni concessa gloria* obponi debet *usitatis rebus* (absurde *sedatis* malebat Heumannus), non idem significare. *Nunc iam* dicitur, ut III. in Verr. 2. *eam vitam, quae mihi sua sponte antea iucunda fuerit,*

nunc iam mea lege, et conditione necessariam quoque futuram. Nobiscum facit etiam Schottus III. Nod. Cicer. 13. Et pro *non* Victor. *vero* XXI. V. L. 19.

Enitendum] Ita omnium, opinor, primus ex suo cod. Car. Stephanus, quod cum Lamb. Grut. et Graevii MStis omnes ii quoque servant, qui nobis praesto sunt. Meus tantummodo notatum ex alio habet in margine, *obnitendum*, ut in editis Stephano vetustioribus: quod eodem sensu adhiberi, Heumannus ex iis colligit, quae de adverbio *obnixe* disserit Gronovius ad Liv. IV. 26.

Fuit ultor] P. Man. C. Steph. et Gryph. *fecit*, ut in Barb. primo. Id in Lamb. repetit. relatum Grut. mutavit ex Palatinis. Nam ipse Lamb. ex MStis suis restituerat, *fuit.* Facillima verbi bis proxime positi repetitio, eaque non inepta.

Quid, si haec non dico] Charisius p. 201. et Diomedes p. 387. hunc locum ita perperam diffractum exhibent: *Quid, si haec, quae dico, maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone?*

Segetem, ac materiem] Ita scripsi cum Bavar. et Lamb. quum alii, *materiam.* Ad hanc rationem sententia conformata est a Livio VI. 7. quam indicavit Heum. *Hostis est quid aliud, quam perpetua materia virtutis, gloriaeque vestrae.* Idem non multo post c. 22. *adiutor ex Tribunis sorte L. Furius datur, non tam e re publica, quam ut collegae materia ad omnem laudem esset.* Quinctilianus VIII. 6. p. 731. ut solent rhetores in figuris consistere, *fontem gloriae, segetem, materiem* retulit ad ornatum.

Civile odium] Victorius XXI. Var. Lect. 19. *commune* emendabat, ut infra c. 29. quem refutavit egregie Muretus ad Tacitum I. Annal. 8. et XI. Var. Lect. 3. breviterque Fabricius ad h. l.

Ille erat ut odisset] Lambinum, nescio quomodo, haec verba male habuerunt: coniecit varie, illud vulgatae simile, *ille, erat quod odisset:* nempe obfendebatur ab *ut*, a quo alibi non est obfensus. Heuman-

nus inepta omnia censet, nisi tironis ritu scribas, *illi erat, cur odisset.* Ernestus tandem monuit *ut* eleganter positum esse pro *cur.* Immo vero, *erat, ut ille* Milonem *odisset*, quod in omnibus libris habemus, antiqua locutio est, pleonasmo adfinis, exemplisque permultis cognita, et probata. I. de divin. 56. *non est igitur, ut mirandum sit, ea praesentiri a divinantibus, quae nusquam sint,* ipso adprobante Lambino. Ab hoc fonte illa manavit formula, *magis est, ut,* quam veteres ICti passim usurpant, et Cicero pro Coel. 6. In his omnibus causa, et ratio rei significari videtur. Doctos viros decepit synchysis, quum pronomen *ille* proximum ei verbo sit, cui non convenit. Eam vero in similibus huic locutionibus adhibitam demonstrabo. Quam in rem insignis est locus II. de officiis 8. *haec enim est una res prorsus, ut non multum differat inter summos, et mediocres viros:* scilicet, est enim, ut haec prorsus una res non multum differat inter etc. meamque hanc explanationem praestat locus ille de fato c. 4. *multaque sunt alia, quae inter locum, et locum plurimum differunt.* Varro sequatur II. R. R. 1. 26. *si, inquam, numerus non est ut sit ad amussim.* Lucretius denique IV. 691.

Hic odor ipse igitur, nares quicumque lacessit,
Est alio ut possit permitti longius alter.

Hunc ita saepe locutum esse, Lambinus ostendit ipse ad Horat. I. Epist. 12. 2. idemque cum Gifanio, et aliis admonet, Latinos hanc formam communem habere cum Graecis. Ita etiam Terentius, Prisciano ex Phorm. II. 1. 40. observante: adde ibid. V. 7. 32. aliaque a Westerhovio collecta ad III. Adelph. 5. 4. Denique vindicavit hunc locum I. M. Heusingerus in observ. antibarb. c. 3. p. 404. et ad II. de offic. 8. et 24.

Iustum fuisse?] MStis melioribus parui, Fabric. Erfurt. ac Bavarico, quibus Britann. tres adcedunt, et ed. Rom. ac secunda Ven. Alii dant *esse:* neutrum duo Palatini, ambo Barb. et meus, cum priore Ven.

Ald. Naugerio, et Hervagio, quod probarunt Grut. Graev. Ernest. et alii recentiores. Heum. non verbum, sed totum membrum amputabat, et proiiciebat.

Cap. XIV. *Quid ergo, iudices?*] Bav. *ego:* permutatio est usitata, et rectum utrumque. Hic locus erat ante Lamb. perturbatissimus. Nam illa exciderant, *iudiciumne timui?* in meo, et in quatuor Britann. vacuum relictum est spatium. Alii, dum id implere studebant, mirifice corruperunt. Bavar. est integer cum Saxon. Erfurt. Werd. et Pithoeano.

Quae fuisset] Vulgata haec lectio est editorum ante Lamb. et omnium Britann. utriusque Barb. et mei, una tamen addita voce necessaria, *iusta*, ut optime fecit Ernestus, quam ex Saxon. a Lamb. additam Grut. et Graev. contempserant, Heumann. quoque receperat, ego in Bavar. inveni. Sed praeterea Lamb. *quae fuisset igitur vobis*, deinde, *nisi ei fuisset* etc. nota praefixa codicis, quod facere solet, quum alium aliquem praeter Fabricianos habet auctorem. Grut. Graev. Heum. tacite adsciverunt *ei*, repudiarunt *vobis*. Suspicor *ei* fuisse in Erfurt. nam est in Bavar. sic tamen, ut, quum in fine sit positum, adiectitium agnoscas. Ernesti proinde iudicium codices optimi comprobant.

Et mihi videlicet] Locus optime constitutus ex duobus Fabric. Werd. et Erfurt. quicum Bavar. plane consentit. Lamb. tamen perperam coniiciebat, *et mihi videlicet in causa, aut mala mea, aut non et praeclarissima, et vestra.* Rom. et altera Ven. *pertimendum.* Idem ironiae tenor pro Planc. 30. *vererer, credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore, et hac dignitate hominem defenderem: fingenda fuit mihi videlicet causa peracuta* (forte, *peracute*) etc. ubi etiam, et c. 7. pro Sextio ex *videlicet* factum fuerat *iudices.* Huc facit egregium Ciceronis fragmentum apud Quinctilian. IX. 3. p. 810. et 811. *Vestrum iam hic factum reprehenditur, Patres conscripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum; verum, ut dixi,*

non meum, sed vestrum. Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis. Non dubito, quin haec ex uno loco petita fuerint.

Cum hoc quum esset una] Semper hoc aures meas offendit. Quamquam enim *cum hoc*, aut simile aliud in hac locutione addi soleat, tamen hic abesse mallem: neque enim gratum est, neque necessarium. Infra c. 18. *Una fui*, sed sequitur, *testamentum simul obsignavi cum Clodio.* Rectissime, etiamsi posuerit, *una cum Clodio fui, testamentum simul obsignavi.* At hic non eadem ratio est. In Laelio c. 1. *quum et ego essem una, et pauci admodum familiares:* non additur, *cum eo.*

Mulcatus] Ita Lamb. ex meliore MStorum scriptura, quam secuti sunt Graev. Heumann. et Olivetus, tribus Britann. adsentientibus. Onomasticon vetus apud Turneb. XXVI. Advers. 6. *Mulcare, pugnis, vel calcibus caedere.* Male omnes alii, *multatus*, quasi vero multa punitus ille fuerit. Vide ad IV. in Verr. 43. Tollius ad Auson. p. 337. hunc ipsum locum adtulit. Nihil pervulgatius. Ab interprete *vulneratus* legitur in Barber. primo, et nonnullis Britann.

Huic ego vos obiici] Barb. prim. et alii *subiici*, quod recte dicitur de securi, non de sica: nam sicae obiiciuntur corpora, subiiciuntur securi. Quod autem hoc membrum, Heumanno favente, in suspicionem glossematis Manutius adducit, probare non possum. Nego in temporis ordinem hic esse peccatum. Initium fit ab Hortensii periculo: *postea*, notatur eiusdem anni tempus, quo per vim Cicero expulsus est, idque tradit Asconius: eo pulso, insidiae Cn. Pompeio factae, et Papirii caedes in Appia, Tribunatum adhuc gerente Clodio, est consecuta: denique *longo intervallo*, h. e. sexennio post, Clodii sica rursus in Ciceronem pro Milonis Consulatu obnitentem conversa est. Ordo sane perturbaretur, si verba, *haec intentata nobis est*, cum Manutio ad id tempus referremus, quo Cicero in pa-

triam restitutus advenit. Sed nimia haec est fortasse diligentia: neque enim historia conscribitur. Cur non potuit tempus utrumque coniungi, deinde media commemorari? Commoda est etiam Ferratii ratio *nobis* explicantis, mihi, et vobis, ut aptissime sequatur, *huic ego vos obiici pro me non sum passus.* Ibidem vero V. Epist. 9. minus recte adversus Asconii sententiam ultimum explicat membrum ex IV. ad Attic. 3. qui locus ad reversionis tempora pertinet, et *Regiam* esse viam putat, quae sit eadem cum *sacra via.*

Haec istam Appiam] Asconii cod. *Appiam viam*, neque aliter Rom. altera Ven. Ald. ceterique usque ad Grut. a cuius MStis aberat vocula, *viam*, ut a Saxon. et Bavar. et, ut videtur, ab Erfurt. Adde Barb. utrumque, octo Britann. meum, et priorem Ven. Non restitui, quia hic neque lex respicitur, neque SCum, ut c. 6. et 7.

Haec, haec eadem] Erfurtensi pronomen iteranti accedit unus Britann. Iam inde a Grut. sic editur. Neque obstat anaphora, quam Heumannus obponit: neque enim tollitur, sed augetur. In hac oratione, quae tota vehemens est, et concitata, crebrae sunt eiusmodi repetitiones, quas librariorum festinatio saepe, ut vidimus, sustulit.

In iudicium detrahi] Sic etiam pro Cluent. 64. *ut hunc Oppianicum aliud agentem, ac nihil eiusmodi cogitantem, ad hanc adcusationem detraheret.* Lamb. *adtrahi*, Barb. sec. *trahi*, alii, *retrahi*, ex usitata permutatione.

Quantae quoties occasiones] Lamb. *quantae, quot, occasiones*, ut I. Tuscul. 35. *is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates?* Sed omnes, quos noverim, libri repugnant, ut Fabricianis, si modo eos auctores habuit, derogetur auctoritas. Nam hoc loco adverbii usus elegantior, de quo alibi disseruimus. Caesar I. B. G. 43. *quae SCa, quo-*

ties, quamque honorifica in eos facta essent. Vide Cortium ad Sallust. Iugurth. XIV. 11.

Potuitne] De hoc loquendi genere videndi ambo sunt Heusingeri ad III. de offic. 17. seniorque etiam ad c. 12. pro Sex. Roscio, sed praecipue Schellerus Observ. p. 17. ad II. de Orat. 15.

Civi egregio] Hanc terminationem pro domo 18. et 22. et I. de offic. 12. observavit Heumannus, saepe nos adnotavimus, atque hic recipiendam duximus ex MStis C. Steph. Lamb. Barb. pr. quinque Britann. et meo, ed. Rom. et utraque Veneta. Sed etiam cod. ille Steph. Pith. uterque Barb. duo Britann. meus, et prior Ven. omittunt sequentia, et viro *fortissimo*, quae tamen optime adsunt, et more plane Tulliano.

L. Caecilii] Parrhasius emendat, *L. Caelii*, ex ipso, ut ait, Cicerone, et argum. historiae Livianae. Perpetua inter haec nomina in MStis est commutatio, et una ex meis prior Veneta hic habet, *L. Caelii.* Ita esse apud Asconium quoque scribit Ernestus in indice histor. p. 119. sed neque in edd. Oporini, Hottomanni, Popmae, neque in Hackiana elegantissima 1644. et omnium postrema Graevii cum MSto conlata *Coelium* inveni. Ciceronis ipsius testimonium exstat post reditum in Senatu c. 9. ubi summo codicum consensu *L. Caecilius* hic nominatur. Fortasse tamen in aliqua mendosa editione Parrhasius id reperit. In epitome Liviana CXI. illius tempore legebatur *C.* et *L.*, *Caecilius*, et *Coelius*, *Rufus.* Sed nullum est dubium, quin ibi cum Sigonio legi debeat, *M. Caelius Rufus*, tempore ipso plane iubente. De hac permutatione consule ibi Drakenb. Harduinum quoque illa decepit ad Plin. H. N. VII. 49. Nam plane idem M. Caelius Rufus apud Plinium est, ut vidit Ernestus l. c. eumdemque alio Plinii loco XXVII. 2. iure optimo statuit Ruhnkenius ad Vellei. II. 68. 1. ubi quidem Frobeniana Plinii editio MSti varietates habens in Barberina bibliotheca syllabam *ci* in *Caecilius*, punctis de more subnotatis, de-

lendam esse significat. Postremo Rufi cognomen, quod erat Caeliorum, obponit Abramius. Atqui non Caelii solum eo sunt usi, sed Cornelii praeterea, Sulpicii, Minucii, Pompeii. Quidni etiam Caecilii? Imo ex Asconio cognomen L. Caecilii discitur, qui esse idem facile potuit, quem Tribunum plebis anni DCXC. nominatum legimus pro Sulla 22. et 23.

Lubens adgnovisset] Cod. Erfurt. quum habeat, *lubens adcognovisset*, indicat, alios legisse, ut oportet, *adgnovisset*, alios perperam, *cognovisset*. Varietates in antiquioribus MStis ita saepe notantur. *Lubens* etiam a Lamb. cod. confirmatur, et a Bavarico, in quo plane deest, *adgnovisset*.

CAP. XV. *Ad quod erat tempus?*] Ita omnium praestantissimus codex Coloniensis, ita optimi duo alii, Werdensis, et Bavaricus. In eamdem lectionem conspirant plerique alii; qui *atqui* tantum habent pro *at quod*, ex usitato compendio, et permutatione, deinde, *erat tempus*. Sic paullo infra: *Qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit?* quibus verbis haec lectio mirifice confirmatur. Sequentia per se, verbo substantivo non iterato, sed, quum exstet proxime, subaudito, consistunt. Immo vero exempla sunt innumerabilia, quibus absolute nominativi ponuntur. Tamen explicari facile potest: *At quod erat tempus?* erat eo tempore *clarissimus* etc. Explicatio igitur vulgatam peperit, *Atqui erat id temporis clarissimus* etc. favente mendoso illo, *Atqui:* sed ea certe melior, quam quae in cod. Francii exhibetur, *Atqui erat per id tempus;* ut propter elegantiam, et facilitatem intelligendi iam inde ab Aldo seniore possessionem, ac locum tueatur, quem usucepit. Eam in tribus Britann. inventam ex eo colligitur, quod sex eorum cum meo, Barb. sec. Palatinis aliquibus, Erfurt. Pith. Franc. sec. editisque ante Aldum omnibus habent id, quod nostrae lectioni proximum diximus, *Atqui erat tempus:* nisi quod unus eorum, *Atque*, alius, *Ac qui*. Barb. pr. *Atque*,

exiguumque post spatium, *clarissimus.* Recta vero in meo cod. et Barb. sec. interpunctio permansit. *Atqui erat tempus. Clarissimus.* Fabricii, et Lambini silentium quam in partem interpretemur? veri similius est, veterem optimorum lectionem, quibuscum eorum codices convenire solent, contemptam ab iis fuisse. Saltem cum Erf. convenerint. Qui a meo iudicio dissentit, is vulgatam retineat, quam non improbo, quum exquisitiori non antefero.

Patronus illius publici consensus] Bavar. omittit vocem *illius*, quae potest abesse, et mendosa est in Erf. et Pith. sed retinendam censeo.

Tribuni plebei] Bavar. et cod. Lamb. ita scribunt, ut multis locis Cicero scripsit: vide ad II. Agrar. 7. Editi veteres, et Barb. prim. usitato compendio perscribunt.

Est cohortatus] Vulgo *cohort. est.* Cod. meus, Barb. sec. tres Brit. et prior Ven. *est* prorsus omittunt, quod fieri non debuit, sed ex Erfurt. ad sedem suam revocari.

Quum decretum de me Capuae fecit] Graevium secuti recte sunt Heum. et Ernest. Ordo est ab Erfurt. ab eodem *fecit*, a Pith. meo, Barb. sec. sex Brit. ed. Wald. et priore Ven. Alii, *fecisset.* Vox *ipse*, quae sequitur, Ernesto suspecta est. Certe necessaria non est, neque ullam elegantiam adfert: verumtamen propter Pompeii summam in rep. dignitatem otiosa fortasse non est.

Omnia tum denique] Ita omnes libri, quos noverim. Hypallagen tollit Heum. emendans, *omnium denique*, quam non esse tollendam, quum sit firmissima, docebunt ea, quae diximus ad c. 18. pro Plancio.

Quem qui tum interemisset] Barb. sec. duo Britann. et meus cum priore Ven. *quem cum int.* Rom. sec. Ven. tresque Brit. *quem si tum*, quod Aldus invertens dedit, *quem tum si.* Ernestus, adrepto *si* et edd. veteribus, non dubitavit edere, *quem si qui tum.*

seque non repugnaturum ait, si quis malit, *quem si tum.* Ego vero repugnarem. Sed cur vulgatam repudiet, egregiam profecto illam, et optimorum codicum fide nixam, neque ille dixit, neque ego intelligo. In alio Brit. sola remansit emendatoris adscriptio, *quem si interemisset.* Idem vir summus *cogitaretur* pro *cogitatum esset* agnovit: quod genus immerito locis similibus improbavit, ut vidimus ad c. 67. pro Sextio.

In iudicium bis, ad vim numquam] Fabric. Erfurt. et Bavar. *in iudicium* exhibent, quod Lambin. Graev. Heum. probaverunt, laudavitque H. I. Arntzenius ad L. 2. D. *de in ius vocando.* Ernestus tamen restituit vulgatum *ad*, tum quia per se rectum, tum quia respondet magis alteri parti, *ad vim.* Atqui praepositionum variatio, ubi praesertim sua cuique nomini propria ex usu tribuitur, tantum abest a vitio, ut in elegantiae laude ponatur. Multa huiusmodi ex Livio collegit Drak. ad VI. 28. nonnulla ex Tullio Wopkensius I. lect. Tull. 6. p. 27. cui Iac. Frid. Heusingerus addendus ad I. de offic. 30. Ex orationibus duo loci sufficiunt. II. in Catil. 6. *Si L. Catilina — ex hoc cursu sceleris, et belli iter ad fugam, atque in exilium converterit:* et pro Cluent. 55. *converte nunc ad equestrem ordinem, atque in ceteros ordines easdem vitae conditiones.* Studiosius hunc variatae praepositionis ornatum videtur quaesisse Sallustius Iug. XXXI. 19. *ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maxumae divitiae, in remp. damna, dedecora pervenerint.* Firmissima ibi lectio, *in remp.* quam duo quoque servant satis vetusti codices a clarissimo, mihique amicissimo Harlesio conlati. At quod est in aliis pluribus, *ad remp.* nonne sponte occurrebat? id vero etiam usitatius: vide ad c. 29. pro Sextio. Si ergo *ad* fuerit, quis *in* substituerit? Ad finem quoque huic rationem vide apud eumdem Wopk. II. 7. p. 161.

Quum in Cn. Pompeium] Heumann. editiones non-

nullas ait habere, *quum ille*, idque sibi valde placere. Sed ego nusquam conspexi.

In scalarum tenebras abdidisset] Codices Pith. Bavar. Barb. pr. Britann. quatuor, et meus, et edd. Rom. ambae Ven. Ald. Naug. Camer. et Gryph. habent *tenebris*, quod aeque rectum est. Vide Oudend. ad Caes. VI. B. G. 5. Supra unus Britann. verba omittit duo, *partem fortissime*, quasi fuerit, *gravissimamque adolescens nobilissimus rem publicam suscepisset*, ut Cato dixit, *tantam rem publicam*, et Plautus, *magnam rem publicam*, quod alibi adnotavimus.

Antonii vero] Lamb. *Marci vero Antonii.*

Quum ille in saepta inrupisset] Coloniensi codici praestantissimo pareo, cuius rei consilium Gulielmius dedit, Ernestus exemplum. Lambinus eamdem lectionem ex aliis codicibus adnotaverat: nunc etiam duo Britann. accedunt. Sic II. Agrar. 18. *inrumpant in aerarium:* de H. R. 11. *vis enim innumerabilis — servorum ab hoc Aedili religioso repente fornicibus, ostiisque omnibus in scaenam, signo dato, inmissa inrupit:* XV. ad divers. 2. *Parthos, si ex Syria egredi, atque inrumpere in meam provinciam conarentur.* Livius III. 49. *Sp. Oppius, ut auxilio collegae esset, in forum ex altera parte inrumpit.* Virgilius IV. Aen. 645. *Interiora domus inrumpit limina.* Codices Lamb. sive Memm. sive Fabric. et Erfurt. et Bavar. *quum ille in saepta ruisset,* quod meus, et quatuor Britann. secuti sunt. Barb. ambo cum Naugerio, et Graevio, *quum ille in septa inruisset.* Huic lectioni addunt *vi* Aldus, et vetustiores: id ex similitudine vocularum *vi*, et *in*, quae vix aliquando discernuntur, exortum, contra libros et optimos, et plurimos retinuerunt Lamb. Grut. Oliv. Ernest. Iam, ut ratio etiam constet vulgatae *inruisset* deserendae, *inruere in homines* infra c. 28. pro domo 40. 45. et alibi dicitur, tamen aliquando fortasse de rebus: quum contra *inrumpere in hominem* vix reperias, sed *in aciem*, *in*

vallum, in castra, denique *in loca;* ut de locis et utrumque sit rectum, propter usitatam distinguendi negligentiam, et nihilominus peculiare sit verbum *irrumpere;* praesertim quum de clausis locis agitur, qualia sunt *saepta:* quae una ratio movit Ernestum, me iam antea similiter iudicante.

Destringendos] Bavar. et quinque Britann, ita scribunt, qua de scriptura pervulgata sunt iudicia doctorum. Pro Sext. 35. *destrictis gladiis, et cruentis.* Mox idem Bavar. cum Erf. utroque Barb. et meo, *curavisset,* ut prior Ven. statimque cum eod. Erfurt. et meo, *dein subito,* ut plerique ante Lamb. editi. Aliis quoque locis *dein* Cicero usurpavit, ut ex Gesneri Thesauro constat: itaque recepi.

Cap. XVI. *Quem igitur*] Hoc enthymema in exemplum adferunt Quinctilianus V. 14. p. 479. Cassiodorus p. 373. Rhet. Capp. et Isidorus II. Origin. 9. Male apud hos duos, *cum gratia,* sine *omnium;* iidem cum libris etiam Quinctiliani multis perperam omittunt, *quem impune:* ita enim duo relata tolluntur. Sed recte isti omnes, *cum periculo capitis,* summo consensu codicum: nam ita etiam Isidorus in duobus codicibus Barberinis, quamvis editum sit, *cum piaculo,* quod nuper denique correxit Arevalus. Tamen, si quis *cum* vellet addere apud Tullium, quum codices eius omnes optimam, et superioribus ablativis consentaneam lectionem habeant, temere profecto ageret. II. in Catil. 2. *iampridem ego L. Catilinam non modo invidiae meae, sed etiam vitae periculo sustulissem.*

Et quam sollicita] Graev. in V. L. quasi a se datum posuit, *et quam sollicita sit cup. Cons.* Habuisse puto *sit* a cod. Erfurt. ut est in Bavar. sed nullo in alio praeterea. Glossema est sane vulgare.

Sed etiam obscure quae cogitari possunt] Adverbium transtuli ante pronomen, cui postponitur in vulgatis. Codices iusserunt optimi Lamb. Pith. aliique Graev. Barb. ambo, et meus, ed. Rom. utraque Ven.

et Hervag. nec dubito, quin plura MStorum subfragia propter tenuitatem rei conferentium diligentiam subterfugerint. Aldus plane *quae* praetermisit, contentus altero, quod antecedit. Ita mihi vulgatus ordo incipit in Naugeriana. Optima vero, et apte hic usurpata relativi est postpositio, quam Tullianis nonnullis locis illustravi ad c. 5. pro Balbo. Adde nunc Orat. 3. *et reliqua, ex collocatione verborum quae sumuntur, quasi lumina:* Lael. 5. *ut ii fuerunt, modo quos nominavi:* I. de offic. 25. *nec vero audiendi, graviter qui inimicis irascendum putabunt,* ex optimo Heusingeri iudicio. Talia saepe fuerunt, tamquam constructionis impedimenta, sublata.

Rumorem, fabulam, fictam, levem,] Modius T. V. F. Crit. p. 102. ita se in MStis vidisse testatur, quos conferebat. Sive unus ille fuerit, quod est probabilius, sive plures; qui hoc exhibeat, Coloniensis esse videtur, quem Modius certe tractavit. Non modo enim est optimus, sed optimis ipsis antistat. Fabriciani, et Erfurt. *fabulam falsam, fictam, levem,* Bavar. *fabulam fictam, falsam, levem.* Hi soli addunt *levem,* quod in tribus nostris reliquis, et in omnibus ante Lamb. editis deest: ut Oxonienses mirer ab uno tantum ex novem suis abesse testari. Sed Coloniensis, quum *levem* admittat, glossema certissimum excludit, *falsam,* quod etiam loci mutatio coarguit. Quid enim ad *fabulam fictam* addatur, nisi per explicationem sane quam puerilem? Supra c. 3. *fictis fabulis*: III. in Verr. 78. *vetera exempla pro fictis fabulis iam audiri:* III. de offic. 9. *fictam, et commenticiam fabulam.* Fragm. a S. Augustino servatum XXII. de C. D. 6. ex III. de rep. *antiquitas enim recipit fabulas, fictas etiam nonnumquam incondite.* Sallustius Catil. III. 2. *quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit.* Broukhusium vide ad Propert. III. 5. 45. ut alios complures omittam. *Levem* autem pertinere ad *ru-*

morem, nemo non videt. Pro Mur. 17. item de comitiis, *totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris:* quo loco Abramius Modii-coniecturam communit legentis, *rumorem levem, fabulam fictam perhorrescimus.* Ego ab ipso codice non discedo, vocabulorum ordinem aliis optimis comprobantibus. Neque facit adiectivorum inversio, ut levitas ad rumorem minus pertineat. Nam hae relationes non quadam quasi symmetria, ut operarios facere oportet, dispertiendae sunt. Ordo, etiamsi non servatur, facile intelligitur, et neminem fallit, nisi prorsus imperitissimum.

Sed etiam in recte factis saepe fastidiunt.] Lamb. in ed. priore, *sed etiam recte facta*, et sic omnes habere libros veteres adnotavit. Deinde Fabricianis subsidiis auctus, *recte facta*, pro varietate coniecit in marg. et adnotationis initio mutato, *in recte factis*, inquit, habent omnes nostri libri veteres. Ita cum aliis optimis etiam Bavar. Nam Barb. ambo, quinque Britann. et meus cum priore Ven. Aldo, et Naug. praepositione carent, quam ex aliis veteribus Manut. restituit. Omissa vero illa, quia *improbitati* antecedit. Sed in recte factis, inquit, morosi saepe sunt, difficiles, fastidiosi, quum in iis ipsis, quod fastidiant, inveniant. Non ipsa recte facta fastidiunt, sed cavillantur, ut aliqua ex parte vituperent. Idcirco accusativum non adhibuit, de quo in Pison. 28. neque observatio Gronovii IV. 10. quam retulit Graev. magnopere huc pertinet. Barb. pr. *persaepe*.

Hunc diem igitur] Lamb. priorem Ven. Naug. et Camer. secutus, *Hunc igitur diem:* nam ita etiam in prima editione: codices tamen illius auctores fuisse arbitror: sunt enim certe Erfurt. et meus.

Quam hoc non credibile in hoc?] Prior Ven. *quam non credibile in hoc, tam idem in Clodio non dubitandum*, interrogatione sublata. Quod *hoc* omittit, placet: tamen vulgatam tuetur locus I. de Orat. 34.

sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod etc. Vide quoque ad c. 24. in Pison.

Qui se, interf. Milone] Mendose codices optimi Werd. Erf. et Bav. *quin se ille,* quibus imprudenter paruerunt Grut. et Graev. Ex *qui* a primo *quin,* ut in Pith. Palatinis, Barb. pr. quinque Brit. et meo, item in Rom. et sec. Ven. deinde additum *ille,* etiam in duobus Britann. Puri sunt Barb. sec. unus Britann. et Regii tres a Lallem. consulti, qui cum Heum. et Ernesto veram lectionem restituit, quam in aliis meis omnibus ante Grut. editis esse video, ne Lambinianis quidem exceptis.

Quod caput est audaciae] Hunc Erfurtensis ordinem confirmat Iulius Severianus rhetor p. 339. quum vulgo *est* post *audaciae* ponatur. Haec varietas paullulum potest Ferrarii suspicionem adiuvare, qui ad XIV. Philipp. 4. vocem *audaciae* subditiciam putavit: quam quidem Schottus III. Nod. Cic. 13. quum se ait retinere propter consensum MStorum, profecto a suspicione non liberat. Nam *ταυτόλογον* facile videatur, *caput esse audaciae,* et, *maximam illecebram esse peccandi.* Neque vero adiectionis indiget absoluta illa formula, *quod caput est,* apud Graecos *κεφάλαιόν ἐστι,* et plura una in causa *κεφάλαια* sunt: quod et per se patet, et rhetores docent. Vide Quinctil. III. 11. p. 295. et Ernesti Lexic. rhet. Graec. p. 179. Spes igitur impunitatis in hac voluntatis iudicatione caput est, et vox *audaciae* redundat. Infra c. 20. *Videamus nunc id, quod caput est, locus ad insidias* etc. Ibi, argumentis pluribus enumeratis, *caput* omnium constituitur argumentum a loco. Hic genus ipsum iudicationis audacia est. Sic itaque, ne codices deseramus, interpretemur: illecebra, quam spes impunitatis habet maximam, caput est in audendo. Nunc etenim audaciae instrumenta quaeruntur. Supra c. 12. *hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam:* pro Sext. 38. *quorum effrenatus furor alitur impunitate*

diuturna. Demosthenes in Midiam p. 624. E. Wolf. 557. 23. Reisk. *Ἄξιον δ' ἰδεῖν ἐφ' ὅσον φρονήματος ἤδη προελήλυθε, τῷ τούτων δίκην μηδενὸς δεδωκέναι. Cognoscite iam, quantos homini spiritus adtulerit, nullas horum facinorum poenas dedisse.* Verumtamen in Ferrarii sententiam inclino.

Quum ille non dubitarit aperire, quid cogitaret] Mutilus erat hic locus ante Naugerium. In omnibus tamen recte, *cogitaret*, qui non omittunt: in omnibus perperam *dubitaret*, quod nuspiam deest. Ita Pith. ambo Barb., omnes Britann. et meus. Erfurt. et Bav. in altero verbo mendose discrepant, quum exhibeant, *cogitarit*, ut contra, quam oportebat, tempora inverterint. Est enim, ut dedimus, adcurate, vereque ab Heumanno constituta lectio. Ernestus *cogitaret* scribi debere intellexit, sed reliquit, *dubitaret*, intactum. Sumpsimus igitur a vulgata *cogitaret*, a rhetoribus *dubitarit.* Sic enim non modo Severianus p. 339. quem citat Heum. ab se editum in poecile T. I. p. 378. Cornelii Celsi nomine, quod refutavit Bondamius II. V. L. 14. §. 16. verum etiam Marcianus Capella p. 421. et Isidorus III. Orig. 30. Hi vero tum hoc optime, tum perperam *cogitarit*, vel, *cogitaverit.*

CAP. XVII. *Fefellit?*] Barb. pr. *fefellit, videtis. Dixi enim modo:* atque illud *videtis* est etiam in altero Barb. tribus Britann. et priore Veneta.

Dictatoris Lanuvini] Barb. pr. *Lanubii*, duo Brit. cum Ald. et Naug. *Lanuvii*, et inde per errorem in utraque Ven. *Lavinii.* Nam quod Manutius Lavinium ubique in Milonis facto, causaque Lanuvio substituit, quamquam in MStis ea frequens est commutatio, vehementer errat, et vel unum legenti Cluverium patebit III. Ital. ant. 4. p. 935. Is Manutio praeivisse putat Aelianum Hist. Anim. XI. 16. III. 3. p. 898. ibidemque p. 897. reprehendit Appianum, qui Laviniensem Milonem facit II. Civil. 20. nam Manutianum illud *Lavinini* exemplo carere puto. Sed Appianum ab errore vin-

dicant Holstenius ad Cluver. l. c. et Schweigh. editor Appiani doctissimus, T. III. p. 739. et multo antea Sigonius ad Liv. VIII. 13. Aelianus vero Lavinium diserte describit: at idem pro Lanuvio etiam in Strabonem irrepserat lib. V. p. 365. D. Amstel. T. II. p. 178. Lips. quod et per se patet, et a viris doctis agnoscitur, quorum nemo nunc Scaligero adsentiri potest existimanti, unam fuisse utroque nomine civitatem. Vide orthograph. Cellarianam Harlesii T. I. p. 273. Quum autem Latini saepe *Lanivium* scriberent, quod exstat adhuc in antiquis inscriptionibus, eo facilius contigit permutatio.

Fuit insanissima concio] Nimirum habita est. Ita cod. Asconii, Saxon. Erfurt. et Bavar. omnes egregii. Heum. tamen, et Ernest. vulgatam praetulerunt, *quo, ut ante dixi, insan. concio — est concitata.* Etiam in duobus Britann. repertum est, *fuit;* quorum tamen unus *est* non abiecit. Neutrum agnoscunt quatuor alii Britann. ambo Barb. meus, et prior Ven. ex quo intelligitur, quid huic loco contigerit. Interpunctione feci apertiorem. I. ad Q. Fr. 4. *valde adversante Clodio, qui etiam privatus eadem manu poterit conciones concitare.*

Nisi — adproperaret, numquàm reliquisset] Ernestum hoc fugit: nimis etenim multa sunt huiusmodi, ut ostendimus ad c. 67. pro Sext. Nam ex illius sententia deberet esse, *adproperasset:* quippe qui Latinitatem ita postulare, Tulliumque ita semper locutum adfirmet ad Brut. 67. ubi *evertisset* contra libros omnes edidit, obsequente Wetzelio, quum optime ita legatur: *Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset.* Sed Schneidero, et Schutzio, viris clarissimis, id persuadere non potuit: quamquam ignota iis vetus nostra illa fuit adnotatio.

Manendi nulla facultas] Quia *manendi* proxime antecedit, male id omissum hoc loco multis in libris

fuit. Primus Aldus, *nulla facultas manendi:* Barb. pr. nonnullique Brit. hunc ordinem servant Gruterianum. In Barb. sec. antiqua manu verbum hoc ita superpositum, ut fieret, *nulla manendi facultas:* in mei cod. margine adscribitur eadem manu, *scilicet, manendi,* quasi glossema, ut in Lambinianis. Bavar. Pith. et quatuor Britann. eo plane carent.

[*omnes scilicet Lanuvini*]. Merito suspecta haec verba Lambino, et Heumanno fuerunt, quamquam in omnibus libris exstant. Unus est, qui suspicionem augeat Britann. *omnes* omittens, quasi ab initio fuerit, *scilicet Lanuvini.* Ita supra c. 10. in ipsis optimis codicibus glossema inventum, *a Lanuvinis.* Si haec legitima, Lanuvini, qui Romae tum essent, indicarentur. Sed multi quoque alii vicinitatis illius id scire debuerunt.

Ut Q. Arrius meus amicus] Praenomen adieci ex cod. Saxon. Bavar. Barb. sec. et Schotti membranis III. Nod. Cic. 13. Firmatur etiam a Barb. pr. quinque Britann. et meo, qui cum priore Ven. mendose habent, *atque Arrius*, aperte pro, *ut Q. Arrius.* Pith. *prout,* quod etiam in mei cod. margine adpositum. Diomedes p. 390. sic habet: *servum etiam ut corruperit Arrius amicus meus:* tum haec adnotat: *non ita dicit, servum corrupit, neque enim confitetur corrupisse, sed adfirmat, etiamsi corruperit, nihil criminose admisisse Milonem.* Verum est ea librariorum culpa, non Diomedis, quem purgavit Bondamius I. V. L. 9. p. 88. locumque similem monuit hinc quoque ex c. 19. ab eo subiungi, *sit ita factum,* explicarique, *credite ita factum esse, quum non sit factum.* Fabricius, et Ernestus in indice hist. p. 107. eumdem censent hunc esse Q. Arrium, qui c. 12. in Vatinium nominatur. Potuit sane idem ibi, atque hic commemorari, tum adeo II. ad Att. 5. I. ad Q. fr. 3. et in Bruto 69. qui civili fortasse bello perierit, eosque genuerit, de quibus Horatius II. Serm. 3. 243. *Quincti progenies Arri, par*

nobile fratrum, etc. Sed is viri Praetorii filius esse non potuit, quum in Bruto dicatur *infimo loco natus:* neque huius item pater, qui et Milonem testimonium dixerit, et epulum funebre in honorem patris septennio ante dederit, quod vult Ernestus: quum ex eodem loco illum constet adhuc, Pompeio tertium Consule, quo anno Milonianum iudicium fuit, in foro esse versatum. Quisquis hic Arrius fuerit, eum non putem hic ironice compellatum, ut Parrhasio, et Heumanno videbatur. Etiam Q. Fufium Calenum, a quo semper magnopere dissentit, ita compellat VIII. Philipp. 4. *Q. Fufius, vir fortis, ac strenuus, amicus meus* et c. 5. *omnino irasci amicis non temere soleo, ne si merentur quidem*, denique c. 6. *credo, qui generi querelam moderate ferat, aequo animo laturum amici.* Hic autem Calenus haud certe minus, quam Q. Arrius, Clodio amicus fuit. Vide ibid. c. 5. et Asconium ad c. 6. de Hortensii sententia, quam qui dividi iussit, eius nomen reticuit Cicero, Caleni scilicet amici sui.

C. Cassinius Scola Interamnas] Bavar. Pith. et alii addunt, *cognomine*, ed. Rom. cum plerisque, *cognomento*. Quum neutrum sit in dŭobus optimis Colon. et Erfurt. (Gulielmio etenim de Erfurt. credendum est, non V. L. Graev. quae saepe fallunt) delendum putavi. Nam, si genti Cassiniae id erat cognomen, contra morem additum esset, ut Perizonius docuit animadv. histor. c. II. p. 69. Sin inditum aliqua de causa dicatur: tum vero quid ista notatio habeat argumenti? nolim ego certe cum Parrhasio hariolari: de *schola* vulgata omnia in Gesneri Thesauro: sed huic loco aptior est Cassinii scientia, quam otium. Iam vero, etsi Coloniensis unius auctoritas sufficit, Asconii est tamen alia praecipua, apud quem hic legitur *C. Cassinius Interamnas*, et in argumento: *erant cum Clodio praeterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus unus C. Cassinius Schola*, deinde: *primo die datus in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum*

P. Clodio fuisse, quum is occisus est, dixit, atrocitatemque rei quam maxime potuit, auxit. Adspirationem cognomini detrahit cod. Asconii a Graev. conlatus, et cum optimis illis Tullianis duo Barb. sex Britann. et meus. Praeterea Colon. Erf. et Bavar. *C. Ausinius*, et *Interamnanus.* Sane apud Grut. CCCLXXII. 12. in lapide Arretino est L. AUSINIUS. L. F. PUB. FARRIANUS. et apud Gorium Insc. Etrur. II. 315. ARRIANUS. Sed *Interamnas* optime apud Ascon. et aliis in libris, eoque ducit alia multorum lectio, *Interamnis:* quum in vetustioribus inscriptionibus ita sit. Una deteriorum temporum, Grut. CCCCXVII. 4. habet, *cives Interamnanae civitatis.*

Familiarissimus] Ita cum Ascon. et optimis quibusque etiam Bavar. et quatuor Britann. non, *familiaris meus*, ut alii mendose. Huius autem celeberrimum illud est testimonium. Abramium vide, et adde Quinctil. IV. 2. p. 342. *P. Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Romae commiserat, Interamnae se fuisse dicebat.*

Cap. XVIII. *Confectae sunt.*] Restitui *sunt* ex editis ante Lamb. omnibus, ex Barb. sec. et sex Britann. neque dubito, quin alii, si adtendissent, ita fuerint in optimis codicibus reperturi. Barb. prim. et meus compendio utuntur *st*, quod ex opinione grammatica explicatum fuit, ex qua Lamb. in ed. priore dedit, *sint.* Hic etenim ei mos fuit, ut talia ab indicativo ad subiunctivum traduceret. Id fecit in Verrinis II. 53. III. 14. et 26. et pluries in philosophicis: veluti V. Tuscul. extr. *in quo quantum ceteris profuturi sumus, non facile dixerimus*, ubi *simus* in solis Lambinianis inveni, *sumus* etiam in bono cod. Barb. in ed. Rom. MCDLXIX. in qua praeterea, *dixerim*, in Iuntina MDXIV. et apud Beroaldum; quem locum inter intactos numerabat Wopkens. II. lect. Tull. 5. p. 145. Eum vide, et ad h. l. Heumannum. Ernestus tamen imitari Lambinum voluit, indicativum sustulit eo Tuscul. lo-

co, et II. in Verr. 43. quasi iuberet omnino Latinitas, reliquit autem III. ibid. 26. Tanta est locorum huiusmodi multitudo, ut emendatores obprimat, quos reprimere debuisset. Duos etiam vindicavit I. F. Heusingerus II. de offic. 5. et 7. Ego totidem, nescio an ab aliis notatos, adiiciam; unum Ciceronis in toga candida, *Me qua amentia inductus est ut contemneret, constituere non possum;* Plauti alterum Most. II. 2. 28. *Non potest dici, quam indignum facinus fecisti:* qui etiam Trin. IV. 2. 5. *Viden' egestas quid negoti dat homini misero?*

Liberatur Milo, non eo consilio profectus esse] Locutionis insolentiam miratur Ernestus: quam quidem cum aliis optimis firmat Bavaricus; et ex praegnantium, ut vocant, verborum usu optime explicavit Heumannus. Unum ille citavit Glassium philol. sacrae p. 747. qui de Hebraico sermone agit, ego in curis sec. ad c. 13. pro Planc. Perizonium, et Wopkensium, qui in Latino versantur. Scilicet Milo absolvitur, et non eo consilio profectus esse cognoscitur, ut insidias faceret. *Liberari* pro absolvi iam vidimus c. 3. et pro Balbo 23. *multi in civitatem recepti ex liberis, foederatisque populis sunt liberati.* Plura collegit exempla Menckenius Observ. L. L. p. 578. Huic vero non est dissimilis locus in Vatin. 2. *defendebatur, testibus collegis suis,* (C. Cornelius Trib. pl.) *non recitandi causa legisse, sed recognoscendi.* Ad hoc etiam genus videntur mihi esse revocanda, quae apud Nepotem haud satis explanata leguntur in Attico XXI. 5. *quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam.* Alia dabimus ad c. 24.

Quippe qui obvius ei futurus] Naugerianam lectionem retinui, quam tres Britann. comprobant, et plerique postea secuti sunt, Lambinus praecipue, dissensu trium codicum adnotato, Gruterus tacite, Heumann. et Ernestus. Tantum ex Saxon. duobus aliis

Lamb. Erfurt. Pith. et Bavar. pronomen *ei*, quod in aliis voci *obvius* anteponitur, postponendum existimavi. Sed quam plana haec locutio est, atque usitata, tam est adhuc infirma. Nam mirifica plane, neque Tulliana videtur, est tamen in plerisque, atque adeo in optimis codicibus alia haec inventa, *quippe si ille*, quam recepit Graevius, non ex animi sententia, sed tanta MStorum consensione pervictus. Ita enim non modo ii, quos nominavi, verum etiam cod. C. Steph. tres alii, quos confero, et sex Britann. cum editis ante Naug. omnibus. Fons varietatis in ea permutatione ponendus, quae inter *qui*, et *si* haud raro fiebat; quam et supra vidimus c. 15. et infra videbimus c. 29. Neque vero absurdum esse arbitror, *quippe si:* tam enim recte dicitur, quam *quippe quum*, *quippe quia*, *quippe ubi*, quod Lucretianum est, *quippe quando*, quod Plautinum. Sed exemplum deest, neque intelligitur, cur deseri consuetudo loquendi debuerit, et pro nominibus oratio inferciri. Simplicissimum fuerat, *quippe cui obvius futurus omnino non erat*: proximum, *quippe qui obvius*, ut apud Livium XXI. 31. *quantum a mari recessisset, minus obvium fore Romanum credens.* Additum tamen, *ei*, ut c. 10. *obviam fit ei Clodius.* Quid est tandem illud, *quippe si ille ei?*

Me videlicet] Hic placet ordo ex Asconii cod. et duobus Fabric. ut olim Lambino placuit, quamquam in suis vulgatus esset, *Videlicet me.*

Iacent hi suis testibus] Lambinum hic quoque sequor: nam vulgata, *iacent s. t. ii, qui* etc. ferri non potest. Etiam Erf. *hi*, neque aliter meus, qui etiam *his* pro varietate habet in margine: sed ambo alieno loco. Pronomen fortasse delendum. Heumann. autem totam periodum delet, quia non necessariam, ducto ab hac locutione suspicionis initio, quam aetatis esse Tullianae non putat. Ea tamen Ernesto suspecta non fuit: quamquam in Ind. p. 551. minus recte explicat, nihil efficiunt. Est enim cum Manutio explicandum, refel-

luntur, a suis ipsi testibus prostrati sunt. II. de divinat. 51. *iacet igitur tota conclusio;* V. de finib. 28. *iacet omnis ratio Peripateticorum,* h. e. confutata est, ut idem recte proxime interpretatus erat Ernestus.

Nisi de Cyro audisset] Bavar. et Brit. tres a melioribus sic habentibus non discedunt. Rom. et sec. Ven. cum Palatinis, *auditum, rediturum fuisse.* Prior Ven. addit *esset*, sed tollit, *fuisse*, quorum utrumque deest in MStis Barberinis, et meo, unoque Britann. Alii quinque Palatinis accedunt. Lamb. tacite vulgatam retinuit, *nisi de Cyro auditum esset, rediturum fuisse.*

Respiravi] Simulationem hanc vocat Quinctil. IX. 2. p. 775.

Nam obcurrit illud: igitur ne Clodius quidem] Heumann. repudiat *igitur*, quasi locum hic habere non possit: Ernestus id melius abesse decernit. Sed recte additur in MStis optimis Saxon. Erfurt. Lamb. et Bavar. quibus adsensi sunt Verburg. Olivet. ac Lallem. et antea Lamb. et Graev. Hoc enim ex superioribus manifesto deducitur. Est autem haec praeoccupatio, ne confessionem suam iudices adripiant. Quum testes, inquit, adversariorum reditum Clodii fortuitum dicunt fuisse, Milonem de insidiis, me de facinoris conscientia purgant. Sed *obcurrit illud*, h. e. sponte sese offert, obviam fit, in mentem cuivis statim venit, apertum quippe consectarium: si Clodii reditus fortuitus fuit, ne is quidem de insidiis cogitavit. Quod sequitur, *quoniam fuit in Albano mansurus*, doctis viris fortasse suasit, ne vocem *igitur* admitterent: sed ea respicit testimonii fidem, ex quo Cicero superiora deduxerat. Verumtamen aliis locis non adest, quibus haec formula illustratur: neque vero idcirco est repudianda. V. in Verr. 40. *Obcurrebat illa ratio: quid Cleomene fiet?* II. de finib. 33. *Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, quum maximas animo voluptates percipiat, omnibusque partibus maiores, quam corpore; quid obcurrat, non videtis: animi enim quoque dolores*

percipiet omnibus partibus maiores, quam corporis: quo in loco inmerito haerebat Ernestus. Sed nihil nobis opportunius, quam quod legitur III. de orat. 9. *Ex qua mea disputatione forsitan obcurrat illud: si paene innumerabiles sint quasi formae, figuraeque dicendi, specie dispares, genere laudabiles, non posse ea, quae inter se discrepant, iisdem praeceptis, atque una institutione formari.* Tullium imitatus est Servius ad III. Aen. 341. Oxonienses *igitur* habent ab Oliveto, neque ullo in suo codice deesse adnotant.

Fuit in Albano mansurus. Siquidem] Hic deesse aliquid suspicatur Ernestus; claudicare orationem censet Heumann. qui tamen, quum viderit punctum ante *siquidem* esse ponendum, qua una re locus facillime persanatur, intelligere debuit, nihil emendatione opus esse. Nimis enim cupide ita refinxit: *Quid? is exiturus ad caedem e villa non fuisset?* Interpunctio igitur locum obtenebraverat. Punctum illud non modo flagitat ratio, sed habent etiam Barb. ambo, Aldus senior, Naugerius, et Lambinus. Sensus apertus est: Clodius de insidiis non cogitasse tum erit existimandus, si exiturus e villa caedis faciendae causa non fuerit. Nimirum *siquidem* respondentis est, qui adsumpta per ellipsin ex dicto alterius adfirmatione, conditionem subiicit ad infitiandum, aut ad confirmandum, aut ad distinguendum. Similem in particula *si* rationem vidimus c. 7. de provinc. Cons. atque ita plane Graeci adhibent tum simplex *εἰ* tum *εἴπερ*, praecipue tragici, a quibus, et a comicis dialogorum formulae petendae sunt. Simillima ergo dabit Terentius Eun. I. 102. V. 6. 17. et Plautus Asin. III. 3. 122. Pseud. IV. 7. 55. Poen. I. 2. 28. Neque vero apud ipsum Tullium deerant: veluti II. de N. D. 36. ubi Pacuvianum illud ex Graeci persona prolatum, *nostri caelum, Graii perhibent aethera*, ita deridet; *quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Siquidem nos non quasi Graece loquentem audiamus.* Item III. de finib. 4. *sed quaero,*

nonne tibi faciendum idem sit — reliquarum rerum discrimen omne tollenti? Siquidem, inquit, tollerem: sed relinquo. Etiam II. Tuscul. 16. *abducet Patrocles, credo, ut conlocet in cubili, ut vulnus obliget. Siquidem homo esset. Sed nihil vidi minus: quaerit enim, quid actum sit.* Hinc emendandum I. de leg. 4. ita videtur. *Quamobrem, quum placebit, experiundum tibi censeo. M. Siquidem, Quincte, nullum esset in experiundo periculum.* Male inter *censeo,* et *siquidem* vulgo *id* inseritur, ex nota M. h. e. Marci respondentis exortum. Goerenzius, et Wagnerus hoc non viderunt. Postremo vide, sitne formula eadem restituenda III. de offic. 12. ubi sic legerim: *Sed numquid, quod* (vel potius, *Sed num quidquid*, ut in optimo cod. Guelf.) *tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est? Siquidem meministi, esse inter homines natura coniunctam societatem. Memini, inquiet ille: sed num* etc. Vulgo interponitur, *immo vero, inquiet ille, necesse est, siquidem meministi* etc. Sed totum id ante *siquidem* in responsione positum a multis, et a quibusdam egregiis libris abesse monuit I. F. Heusingerus, egoque ab editione quoque Romana MCDLXIX. abesse video. Cuius quidem rei causam confert ille in repetitionem clausulae *necesse est:* qui certe fons omissionum est maximus. Verumtamen suspicio est magna, et iusta glossematis: nam, verbis illis eiectis, elegans, apta, usitata, eademque interpretem ad se trahens locutio relinquitur; neque iam bis interponitur, *inquiet ille*, atque ita quidem, ut priore loco ad Antipatrum, secundo ad Diogenem referatur.

Qui dicitur] Lambini cod. et Bavar. *qui dicatur.* Recte, ac fortasse sic alii. Haud tamen a vulgata discedo.

Animam efflantem] Platonis locos, qui huc faciunt, adtuli olim ad c. 25. in Pison. Adde Lucret. III. 436. 456. et Silium XVII. 557. Euripideo illi ἐξέπνευσαν βίον, quod adfert Abramius, respondet apud Sopho-

clem in Aiace v. 1050. *ἀπέψυξεν βίον*, eiusque oppositum *ἐμπνέειν βίοτον* ipse habet Euripides in Hippol. v. 1246. Cicero autem II. Tuscul. 9. de Nemeaeo leone, *Frendens efflavit graviter extremum halitum*, quum ea locutio non sit apud Sophoclem, quem ibi Latine loquentem inducit.

Cap. XIX. *Quid adferebat causam festinationis?*] Antiqua huius loci macula emendatoribus ad eluendum est tradita. Nam ex MStis, uno excepto, nihil aliud prolatum est, nisi, *quid adferebat festinationis?* ita etiam Bavar. et alii, quos habeo, tres, ita omnes editi ante Aldum; qui sic emendavit prior, *quid adferebat festinatio?* quod cum sequentibus, *quod heres erat?* apte non cohaerere, vidit Ernestus. Aldi autem filius Paullus, *quid adferebat festinationem?* At idem antecedentia significant, *quae causa, cur Romam properaret?* Lambinus tamen id retinuit, neque ille, neque Fabricius, quod maxime intererat, quidnam in suis codicibus invenerint, adnotarunt. Non est credibile, a ceteris optimis, quibuscum convenire solent, eos hic discrepasse. Gruterus tandem ex praestantissimo, quem excepi, cod. Coloniensi, *quid adferebat causa festinationis?* Ita Graev. quoque, et alii usque ad Ernestum. Hic, et apud Olivet. anonymus quidam, intellexerunt, adiectum nominativum, *causa*, esse mendosum. Itaque vir doctissimus, quem secuti sumus, adiecta litterula, quae saepissime periit, *causam* edidit. Hanc lectionem intelligenter profecto erutam ferme postulant reliqui omnes codices. Sententia inest paullo subtilior, at recta. Postquam enim quaesivit, quae causa properandi fuerit, quaerit, quo in antecedente causa ipsa contineretur. II. de divin. 2. *Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam adtulit gravis casus civitatis:* deinde causam ipsam exponit, *quum in armis civilibus* etc. Ita hic apte subiicitur, *quod heres erat?* quum a causa impellente ad illud fiat adscensus, in quo erat causa illa quaerenda. Nam in Cyri

morte quid aliud esse poterat, quod aliquam Clodio properandi causam adferret, nisi quod eum Cyrus heredem scripserat? Clodium properasse finge, ut aliquid statim pro herede gereret; haec festinandi causa fuerit; hanc vero adtulisset hereditas. Nihil hactenus inventum est melius; in quo tamen ego haud penitus adquiesco. Ipsa codicum prope omnium lectio, interpunctione mutata, sensum non habet ineptum. *Quid adferebat festinationis, quod heres erat?*

Subsidendum] Arusianus habet *subsedendum* in cod. Neapol. sed in Mediol. nuper edito nihil variat. Heumann. praetulit *subsistendum*, quod erat in editis ante Lamb. et adhuc permanet apud Asconium. Atqui *subsidere* nihil aliud est, quam manere, ac subsistere VI. ad div. 8. et V. ad Attic. 16. quos locos iam Modius adduxerat T. V. Fac. Grut. p. 103. Quomodo autem hoc verbum ad insidias significandas adhibeatur, docuerunt Turnebus V. Advers. 8. Gronovius I. observ. 17. et Heinsius ad Virgil. XI. Aen. 268. Recte omnino duo Fabricii codices, alii a Lamb. et Modio adhibiti, et Erfurt. et Bavar. qui omnes egregii sunt, tum etiam quinque Britann. *subsidendum*, quae lectio subponi non videtur pro altera potuisse.

Noctu, insidioso, et pleno latronum in loco occidisset] Totum hoc deerat ante Naugerium, qui ex MStis protulit, deditque, *invidioso:* qui nempe invidia caedium, quae ibi solebant fieri, laborabat. Respicit enim Cicero ad *monumentum*, sive, ut ipse VII. ad Att. 9. vocat, *bustum Basili* cuiusdam e gente Minucia; *qui locus*, ut ait Asconius, *latrociniis fuit perquam infamis*, h. e. invidiosus, ac propterea huius criminis culpam, et invidiam sustinuisset. Deinde Lambin. in ipsa priore ed. recepit *insidioso*, id a suis omnibus MStis comprobari testatus, Fabricio, et Modio tacentibus. Ita enim legebat Barbadorius ad marg. Gryph. 1539. atque ita, non inspecto Lambino, coniecerunt Heum. et Ernestus. Quum autem in Graevianis omni-

bus, meisque codicibus haec verba desint, in duobus exstant Britann. quorum unus habet, *noctu occidisset insidioso, et pleno latronum in loco.* Caius ICtus VI. Pandect. 1. 36. *culpae autem reus est possessor, qui per insidiosa loca servum misit, si is periit.* Hoc igitur et satis firmum, et melius visum est.

Et receptator locus,] Saxon. *receptor,* quod tamen non adscivit Lamb. neque Graev. idem habens in suis, ut ego in Bavar. in Barb. sec. in meo, et in quinque Britann. esse video. Praelatum id a Pareo Lex. crit. p. 1060. addito loco IV. in Verr. 8. ubi, et V. 62. Messana dicitur Verris *praedarum, ac furtorum receptrix.* Sic etiam Iulius Paullus V. Sent. 3. 4. Ulpianus XLVII. Pand. 9. 3. §. 3. et in ipso Praetoris edicto ibid. initio L. 1. *in eum, qui quid — rapuisse, recepisse dolo malo dicetur.* Memmio V. in Verr. 62. sine causa, *receptatrix,* coniiciendum videbatur. Tamen *receptare* a Terentio, et Lucretio usurpatum fuit, et *receptator* est in Pandectis XLVII. 16. et apud Florum III. 10. 9. Rhenus dicitur *hostium receptator:* quod sane locis adprime convenit, de quibus hic agitur. Est enim *receptator,* qui saepe recipit, qui ad recipiendum patet, paratus est semper, *receptor,* etiam qui semel.

Dum neque] Mendose haec duo coaluerunt in Pith. utroque Barb. quinque Britann. et meo, item in priore Ven. exhibentibus, *denique.* Id miror non improbatum a Graevio, praesertim quum *deinde* sequatur. Neque satis apte Lamb. *tum,* quamquam suis ex MStis, atque adeo confirmante Bavarico, ex usitata scilicet commutatione, de qua Drak. ad Liv. XL. 42. Haec etenim ratio est, cur locus ipse crimen sustinuisset, quamvis neget Ernestus. Egregie omnino *dum:* nam conditioni subest *ἀδύνατον,* et ex consequenti valet, *quandoquidem.* Planius exponi sic potest; neque muta solitudine indicante, neque caeca nocte ostendente Milonem: est enim quasi circumscriptio quaedam parti-

cipii. Ernestus ipse in suo ad Tacitum indice *dum* explicavit *quia* et *nam* I. Annal. 23. *Quin ipsae inter se legiones ferrum parabant, VIII. et XV. dum Centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur, ni miles* etc. Haud satis adcurate: est enim causae adiuncta significatio temporis: sed tamen ad genus illud noster hic locus pertinet. Modorum autem, ac temporum aequalitas est etiam II. de offic. 8. *atque in has clades incidimus, dum metui, quam cari esse, ac diligi, maluimus:* et in Bruto c. 81. de P. Crasso, *dum Cyri, et Alexandri similis esse voluit, — et L. Crassi, et multorum Crassorum inventus est dissimillimus.* Sallustius etiam Catil. LII. 12. *ne — dum paucis sceleratis parcant, bonos omnes perditum eant.*

Deinde multi ab illo violati] Hi omnes in suspicionem caderent, quasi P. Clodio insidias fecerint, eumque ad eam rem locum opportunum delegerint. Absurde vulgati, *deinde ubi*, vel, ut ex Erfurt. Graev. et Ern. *deinde ibi:* quasi Clodius eo loco latrocinatus esset. Quid vero ad locum pertinet, *bonis expulsi?* Ex prava lectione Abramii prava interpretatio profluxit. Colon. est unus, qui *ubi* prorsus omittat. Ei primus recte paruit Heumannus. In re tam aperta codex omnium optimus etiam instar omnium esse debuit. Suspicor *ubi* huc translatum e superioribus, sive varietas fuerit pro *dum*, sive illius particulae interpretatio.

Devertit Clodius ad se in Albanum] Erat olim, *Clodius ad Albanum.* Gulielmius quaest. Plaut. in Men. c. 3. ex eodem Colon. hoc protulit, quod restitui, ex eoque Pareus Lex. crit. p. 31. a quo haec, quam immerito Heum. improbat, locutio *ad se* ibi satis illustratur. Omisit tamen locum Plauti nobis maxime opportunum Poen. III. 3. 60. *Ut devortatur ad me in hospitium optumum.* Atque hic etiam *devortit* antique habent Bavar. et meus, aliusque codex apud Lamb.

De locis autem saepius *in* usurpatur. Quamquam enim mox dicitur, *ad villam suam,* tamen est paullo infra c. 20. *devertit in villam Pompeii,* et II. de offic. 18. *quicumque Laciades in villam suam devertisset.* Sed hoc perierat apud Grut. et Graev. quum ille reliquerit, *ad Albanum:* quo errore deceptus Ernestus, sine dubio, inquit, *ad Albanum* est glossa verborum *ad se.* Lallem. tamen restituerat optime, *in Albanum.* Sic enim tota se habet ubique locutio. IV. ad Attic. 9. *venit etiam ad me in Cumanum a se:* de fato apud Macrob. II. Saturn. 12. *quum esset apud se ad Lavernium Scipio,* quia de statu agitur: sed III. de rep. apud Nonium p. 522. *cuius etiam focum Cato noster, quum venerat ad se in Sabinos, visere solebat:* pro Quinct. 3. *de communi quidquid poterat ad se in privatam domum sevocabat.* Ciceroni, et Plauto addendus est Varro II. de re rustica extr. *Itaque discedimus ego, et Scrofa in hortos ad Vitulum.* Statius denique III. Silv. in epist. *meque non tam in patriam, quam ad te, secedere.*

Quod nisi sciret Milo [*illum Ariciae fuisse*], *suspicari*] Hic nondum sanatus est locus. Saxon. Erfurt. et Bavar. pro *nisi* habent *ut,* quo fiat etiam obscurior. Alii cum editis ante Lamb. *Quod nisi sciret illum Milo Ariciae fuisse:* nisi quod aliam vocem addit Naug. *illum diem Milo,* Camerario sequente. Lamb. reiecit illud Saxonici *ut,* nihilque mutavit, nisi ordinem, ut fieret, *Milo, illum,* confirmante Bavarico. Sententiam ego loci considerans, glossema visus mihi sum intueri. Nam primum constat ex c. 17. non illud addubitari, de quo nullum est uspiam verbum, sciretne Milo Clodium Ariciam esse profectum, sed sciretne fore illum eo die in via. *Quid? si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? — Milo de Clodii reditu unde quaesivit? quaesierit sane: videte, quid vobis largiar.* Deinde, quum in has lectiones nullam possem

ullo conatu apertam, commodamque sententiam apte concludere, haec verba esse impedimento videbam, *illum Ariciae fuisse.* Quibus expunctis, exstitit statim antecedentibus, sequentibusque consentaneum quiddam, atque connexum. *Quod* (ad villam suam devertisse Clodium) *nisi sciret Milo, suspicari tamen debuit, eum* etc. vel, nisi sciret Milo, eum illuc deversurum, suspicari tamen id fore debuit. Fortasse pro *nisi* fuit *ni*, ut supra c. 13. atque inde *ut* exortum.

Ad villam suam, quae viam tangeret] Pro Sex. Roscio 7. *fundos XIII. reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt.* In vetere lapide Grut. MLXXXI. SI. QUI. ALI. ADFINES. SUNT. ET. QUA. QUEMQUE. TANGIT. ET. POPULUM. h. e. viam publicam.

Ne ille in villa] Grut. adiecit *ille*, quod in Lamb. margine pro varietate notabatur, et in Bavar. exstare video, tribusque Britannicis. Deest etiam in Barberinis, et meo, atque ab Heumanno sine causa repudiatur.

Odium fuisse illius in hunc acerb. nullum huius in illum] Horum verborum ordinem, firmum, atque concinnum, Bavar. comprobat, conturbat Heumannus. Mavult enim, *interitum Milonis fuisse: odium illius*, quod editi ante Grut. Barb. uterque, meus cod. et duo Britannici exhibent; deinde, *in illum huius nullum*, quod in Brit. omnibus, et Barb. et meo, editisque ante Lamb. excepto Naug. cum paucis, qui haud meliore numero, *in illum nullum huius.* Lamb. ex suis codicibus iam, quod restituimus, dederat, Graevio probante, Ernesto contemnente.

Et praedictam palam] Codices Graev. et mei, quinque Brit. omnesque ante Gruter. editi, quos habeo, *praedicatam*, Fabricio, et Lamb. silentibus. Gruterum autem, *praedictam* unde sumpserit, monere oportebat. Facillima, et usitata est permutatio, ut docet Drak. ad Liv. II. 10. ex qua, si editum non invenerim, *praedictam* coniicere non dubitassem. Quid est enim, *prae*

dicare mortem alicui? exemplum certe nullum habeo, quo defendam. Sed Gruteri fidem tuentur quatuor Britann. atque illud etiam comprobat, quod vocem *palam* eo loco ponunt Erfurt. et Bavar. quo illam is transtulit, quum esset antea post *denuntiatam.* Cicero *denuntiare*, ac *praedicere* coniunxit etiam I. act. in Verr. 12. et VI. Philipp. 3. Est autem *praedicere* praemonere, de quo Mencken. observ. L. L. p. 775. *denuntiare* minari, quod illustravit Broekhius ad Tibull. III. 5. 5.

Nihil umquam auditum ex Milone] Absolute dictum, ut pro Sext. 21. *nihil audieram? nihil videram?* Tamen optime cod. Pith. *nihil umquam tale*, quod a sententia requiri Graev. putabat, egoque libentissime recepissem, nisi, quamvis glossematis speciem non habeat, vererer tamen, ne propter aliorum omnium codicum dissensum, praestantiamque non summam, et singularem illius, videretur esse glossema. Quin etiam in mei cod. margine est *tale* cum glossae nota, *scilicet.* Quamquam ea verbis etiam necessariis in eodem cod. adponitur: ut omisso pronomini *hunc* paullo infra ante *nullius rei*; et c. 20. post *potissimum* notatur, *supple delegerat.* Ceterum Asconius in argum. *notum tamen, inquit, erat utrumque mortem alteri saepe minatum esse.* De Milone adhuc Tribuno testatur id ipse Cicero IV. ad Att. 4. quem locum ad tempus hoc male refert I. Alb. Fabricius ad Dion. Cass. XL. 48.

Reditus illius] Omnes alii, *reditum.* Bavaricum audiendum censui, ut hoc a v. *diem* haud minus pendeat, quam superius, *profectionis huius.* Nihil concinnius. Idem mox omittit *se* ante *illo.*

Noctem prope urbem exspectandam] Ita duo Fabric. unus Lamb. Bavar. ambo Barb. meus, Britann. sex, et prior Ven. idemque videntur Grut. et Graev. in suis aliquibus reperisse. Nihilo tamen deterius est, quod unus ex editoribus dedit Naugerius, *noctem p. u. exspectandum*, duobus tandem MStis Britann. confir-

mantibus; quae lectio facile imperitos offenderit, similiterque immutata saepe fuit, ut vidimus ad III. in Catil. 8. atque alibi; quae denique vulgatam illam peperit Rom. sec. Ven. Aldi, etc. *nocte p. u. exspectandum,* quomodo etiam unus Britann.

CAP. XX. *Mille hominum versabatur valentium*] Cum Gellio I. 16. et Macrobio I. 5. quibus penitus iam inde a P. Man. obtemperatur, consentiunt Erfurt. Barb. sec. duo Britann. prior Ven. et Naug. Gellius autem in libris minus adcurate scriptis hoc tantum suo tempore variatum significat, quod illi *versabantur* haberent, quo ex numero est Bavaricus. Etiam in fragm. libri VI. de rep. apud Non. p. 501. *mille hominum descenderent,* legendum puto, *descenderet.* Brit. tres, et meus in margine cum Rom. sec. Ven. et Aldo *versarentur,* Hervag. *versaretur:* quod pro *versari posset* iis placuit, quos operarum numerus offendebat. Sed *versabatur* dicit, quia homines ad eum fere numerum in eo fundo versari solebant, quum substructiones *insanas,* immensas, ibi tum Clodius adhuc faceret. Quantum opus fuerit, patet ex c. 31. ut nihil habeat is operarum numerus, quod offendat. Iam *homines* pro servis hic accepit Iac. Gronov. ad Gell. l. c. ibidemque Otho addidit exempla, quibus nostra licet iungere ad V. in Verr. 7. De I. F. Gronovii explicatione nonnihil diximus ad III. in eumd. 87. de qua nimis acerbe pronunciat Heumannus.

Edito adversarii, atque excelso loco] Depravati codices multi, vestigia tamen continent huius optimae a Grut. restitutae lectionis, quam unus obpugnavit Heum. ut ad ineptias rediret, et quae nunc optime cohaerent, rursus distraheret. Grut. igitur *edito* protulit, quod evanuerat, praebentque codices Colon. Erf. Pith. Bavar. et quinque Britann. Tum ex iisdem nobis reddidit *atque,* unde vulgatum *atqui* de more profluxerat: *adversari* vero ipsa fere in omnibus vetus scriptura est, a Bentleio, Cortio, aliisque passim in similibus, pro

adversarii, ut more nostro in Britann nonnullis scribitur. Vetus interpunctionis malum plane sustuli, ut tandem fecit Ernestus, ne v. *edito* connectente nunc omnia, seiungantur adhuc perperam superiora. Quae quidem distractio glossam peperit in uno Brit. receptam, et in mei margine adnotatam, *Ante fundum Clodii res acta est, quo in fundo* etc.

Ob eam rem] Ita etiam Bavar. et reliqui mei cum codicibus C. Steph. et Lamb. octo Britann. priore Ven. et Naug. Alii ex interpretatione, *ob eam causam.*

Delegerat] Hoc praetuli cum Lamb. ex eius cod. ex meo, editisque post Aldum, qui invexerat. Firmant tamen Rom. et sec. Ven. unusque Britann. in quibus est *deligebat*, quia nempe antecedit, *putabat*. Contra Lamb. *putarat*, sequente *delegerat:* quae vana est diligentia. Sic autem Caesar VIII. B. G. 7. *locum castris excelsum delegisse:* qua in re verbum est paene sollemne. Barb. ambo, sex Brit. et prior Ven. prorsus omittunt: Bavar. et unus Lamb. *legerat:* Grut. *elegerat*, quod retinuerunt Graev. alii, et Ernestus.

Audiretis] Barb. prim. *Si haec non gesta audieritis, sed picta videritis:* atque ita hoc citat Aquila de figur. c. 13. Corruptissime totus hic locus refertur a Marciano Capella p. 428. Rhet. Capp.

In Alsiensi] De Alsio copiose Cluver. I. A. p. 497. Frontonis nuper editi epistola *de feriis Alsiensibus* inscribitur. Ibi p. 179. *Alsium* ille vocat *maritimum, et voluptarium locum.*

Quid ergo erat? mora, et tergiversatio:] Vulgo ante Grut. *quid ergo erat morae, et tergiversationis?* Ita vero codices prope omnes, quos sequi maluit Lallem. loco minus adcurate perpenso. Heumann. haud male, *Quid ergo? erat mora*, etc. Sed Ernestus, et ego Gruterianam et lectionem, et interpunctionem probamus. Ab uno est omnium praestantissimo codice basilicae Coloniensis, tamquam Phidiae signum, lectio deprompta. Ceteri omnes libri mendosi: per quos con-

clusio ex antecedentibus inferenda, in ipsis ponitur antecedentibus. Formula vero, *quid ergo erat?* et Tulliana est, et huic loco aptior. Multis ex locis unum adferam pro Quinctio 18. *Quo te nomine adpellemus? improbum? at* etc. *malitiosum? non negas: fraudulentum? at id quidem adrogas tibi, et praeclarum putas — Quid ergo est?* alterum pro Caelio c. 14. *cur tibi Caelius tam coniunctus fuit? cognatus? adfinis? viri tui familiaris? nihil horum. Quid igitur fuit, nisi quaedam temeritas, ac libido?* eadem locutio, interposito *nisi.* Porro eadem ab adversariis obiiciebatur Miloni tergiversatio, ut ex Quinctiliani egregio loco discimus VI. 3. p. 542. *Quum obiiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, quod Bovillas ante horam nonam devertisset, ut exspectaret, dum Clodius a villa sua exiret, et idemtidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset,* (Cicero) *respondit,* SERO.

CAP. XXI. *Age*] Brit. duo, *Agite*, quod pro varietate legitur etiam in mei codicis margine. Scilicet ante Vallam non defuerunt, qui *age* putarent cum plurali non posse coniungi. Horum iamdiu explosa sententia est. Consule Broekhus. et Burm. Sec. ad Propert. I. 1. 21. Bulaeum, et Burm. seniorem ad Valerium Flacc. III. 311. Drak. ad Liv. XXXVIII. 47.

Numquam non in rheda] Bavar. et ex suo cod. Lamb. *numquam, nisi in rheda.*

Tum neminem, nisi ut virum] In Rom. et utraque Veneta deest *ut:* at libri omnes, quantum scio, adgnoscunt *nisi*, quod Heum. et Ernest. spurium existimarunt. Hic tamen explicat recte: tum neminem ducebat, nisi talem, ut virum a viro lectum esse diceres. Quidnam, quaeso, est offensionis? vox *nisi* suam vim, et opportunitatem habet quamdam egregiam. Quod enim Clodius scorta non duceret, idcirco non statim diceres virum e viro lectum. Hoc tamen dicitur, *nisi* sublato: deinde non admodum eleganter positum re-

stat, *tum neminem*, nimiumque dissimile superiorum, *tum nugarum in comitatu nihil.* At istud ipsum ante dictum adsumitur in extrema comparatione, simulque oppositio ad scortorum greges exsistit maxima per formulam, *neminem, nisi ut*, apertam illam quidem, Latinamque, sed raram. Similiter tamen adhibitum *sed ut* adgnoscere licet in Bruto c. 67: *at in inveniendis, componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem, maioremque cognoverim, sed eam ut citius veteratoriam diceres:* h. e. sed talis, ut eam citius etc.: et ibid. 47. *L. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset.* Me igitur non magis offendit haec lectio, quam Turnebum olim XXV. Advers. 7. et Victorium XVII. V. L. 19. qui hunc locum sine ulla suspicione tractarunt. Quod autem subplendum est, *ducebat*, id ipsum in editis erat proxime, ubi nunc melius editur, *duceret*, ex MStis Saxon. Erf. Pith. quibus adcedit Bavar. ambo Barb. quatuor Brit. et meus, immo etiam prior. Ven. Hic porro desinit Barb. primus: uti deinceps altero tantum licet.

Semper ille] Pronomen *ille* delendum puto, Miloni minime aptum, de Clodio toties, atque hoc ipso loco, adhibitum. Neque vero pronomen ullum requirit sententia, quam regit antecedens Milonis nomen.

Proiiciebat] Ita primus egregie Lamb. ex Saxon. cui adcesserunt tres optimi Gruteriani, Bavar. unusque Britann. Male antea, *provehebat*, nonnulli haud male, *coniiciebat.* Graeca Suidae respondent apud Graevium.

Incertos exitus pugnarum, Martemque communem] Apud Servium ad XII. Aeneid. 714. male vox *pugnarum* omittitur. VI. Epistol. 4. *omnis belli Mars communis — semper incerti exitus proeliorum;* ubi vide Manut. et ad h. l. Abram. et Heumann.

Et perculit ab abiecto] Heumannus temere coniecit, *et opem tulit abiecto*, quamquam ingeniosa est emendatio. Ex eius Poecile T. I. p. 275. et ex adnotatione Schwarzii ad Tursellin. de partic. p. 1. intelligi-

tur, superstitione quadam grammatica utrumque fuisse in fastidium vulgatae huius adductum, quae tum ex libris omnibus retenta perpetuo, tum est profecto quavis emendatione praestantior. Iam explicatione illa Schwarziana, *perculit*, h. e. *propulsavit*, *depulit ab abiecto*, nihil esse falsius, ipse intellexit Heumannus. Celebratur autem in primis locus I. Acad. 7. *nihil enim valentius esse*, *a quo intereat:* quem huic nostro coniunxit Tursellinus, item Gesner. in Thes. A., et AB. n. 12. adtulit etiam Vigerus Idiot. L. Gr. IX. 9. 4. dum similem τοῦ ὑπὸ apud Graecos usum ostenderet. Nimirum operam, manumque alicuius, causasque rerum efficientes Latini per *a*, et *ab*, Graeci per ὑπὸ solent exprimere. Vide Budaeum in comm. L. G. p. 1007. ed. Steph. et Staveren. ad Corn. Nepotem de Reg. III. 3. ubi *periit a morbo* merito ab eo probatur, et ab Heusingeris duobus, quorum alter id firmat ad I. de offic. 2. Pulchre apud Plutarch. in parall. T. II. Reisk. p. 477. opponitur ὑπὲρ ὧν, *pro quibus*, et ὑφ' ὧν, *a quibus*, ἀπέθανε, *occubuit*. Hoc illi genus adgnoscunt: sed ab eo recte peti analogiam negant; passivam significationem requirunt, quam solam invenerant. Mihi vero ne opus est quidem hunc locum, ut sane possem, analogia ipsa defendere: satis enim defendit ille, quem vidit Abramius, ad pugnam exiturus Hector Homericus VI. Iliad. 367. qui se nescire ait, utrum inde sit vivens rediturus ad suos, an vero *ab Achaeorum manibus se dii sint perculsuri.*

Οὐ γάρ τ' οἶδ', εἰ ἔτι σφιν ὑπότροπος ἵξομαι αὖτις,
Ἦ ἤδη μ' ὑπὸ χερσὶ θεοὶ δαμόωσιν Ἀχαιῶν.

Neque tamen in hac formula solus hic est apud Tullium significationis activae locus. Mitto quod exstat III. de leg. 16. *Carbonis — seditiosi*, *atque improbi civis*, *cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit adferre.* Quid est, quaeso, his locutionibus pervulgatius, *pecuniam solvere*, *numerare*, *legare ab*

aliquo? harum omnium ex Tullio exempla retulit Gesn. l. c. n. 14. 15. Quid vero magis activum? in his tamen omnibus per eamdem ablativi praepositionem alterius manus exprimitur. Porro de Marte similiter pro Marc. 6. *quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae.*

Haesit in iis poenis] Arusianus hinc habet, *haesit in poenis*, quum initio posuerit, *Haesit in iisdem*. Lego, *in iis*, utrobique. Etiam V. in Verr. 9. *cogitate, in his iniquitatibus unum haesisse Apollonium.* Hoc sumptum a laqueis, recte monet Heumannus. Idem vero Arusianus addit ex Virgilio V. Aeneid. 204. *Infelix saxis in procurrentibus haesit.*

Ne indicarent] Ita Grut. ex Erfurt. et Ursini cod. quibus adcedit Bavar. item unus Britann. atque alter adeo, in quo mendose, *vindicarent*. Erat antea, *ne indicaretur*, minus bene.

Cap. XXII. *Id agamus hic*] Grut. ex tribus suis optimis dedit *hic*, neque aliter in Bavar. quum alii omnes mendose habeant *hoc*, quod sequentibus adtributum pleonasmum effecerat non probandum, *hoc, quod tormentis invenire vis, id fatemur:* etsi aliquando fiunt pleonasmi pronominum, ut vidimus ad c. 14. pro Mur. et alibi. In mei codicis marg. librarii manu adscribitur, *abundans particula*. Ac sane in cod. Pithoeano fortasse melius omittitur. Etiam sic placeret: *quod igitur in causa quaerendum est, hic agamus: quod* etc.

Dixitque] Erfurt. ac Bavar. *et dixit.*

Praemium satis magnum] Ut *pecuniam satis magnam* I. de offic. 8. Duo Britann. *satis dignum*, ex interpretatione. Eadem sententia sic Isocrates in panegyr. c. 8. p. 134. T. I. Batt. *Οὐδεὶς γὰρ ἂν δύναιτο δωρεᾶς τοσαύτης τὸ μέγεθος εὑρεῖν, ἥτις ἴση τοῖς πεπραγμένοις ἐστί: nemo etenim ullam possit tanti praemii magnitudinem reperire, quod sit factis aequiparabile.* Ibi elegantem, ut mihi quidem videtur, hypallagen tollit

Hier. Wolfii emendatio, δωρεὰν τοσαύτην: quamquam ei lectioni Morus id tribuit, ut Latina fiant inde molliora. Esset κατὰ πόδα, *ullum praemium magnitudine tantum*. Augerius T. I. p. 181. maluit εὑρεῖν δωρεᾶς construere, atque ita sine emendatione κατὰ τὸ μέγεθος intelligere: vertit tamen, *nemo enim ullum praemium excogitare possit tantum, quod factis respondeat*. Sed nonne ornatius τοσαύτης ponitur pro τοσοῦτον? Simplicius dixisset, δωρεὰν ἴσην τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων, ut p. 166. Aug. c. 2. ἴσους τῷ μεγέθει λόγους τῶν ἔργων ἐξευρεῖν. Imitatus est veteres Capitolinus in Antonino Pio c. 2. *quod quidem non satis magnae pietatis est argumentum;* ubi Casaub. et Salmas. emendantes *magnum* reprehendit merito Cortius ad Cic. XV. Epist. 2.

Propter quos vivit] Vide hic Lamb. et Heum. de Graecis autem Vigerum idiotism. IX. 2. 7. ibique Hoogev. a quo hic etiam Tullii locus adfertur.

Fuerunt] Hoc restitui, quo nihil verius, ut ad c. 11. ostendimus: nihil porro esse firmius, omnes ante Grut. editi, quos habeo, codicesque Erfurt. Bavar. Barb. meus, omnesque Britann. abunde declarant. Gruterus tacite *fuissent* invexit, quem recentiores omnes secuti sunt. Fassus est tamen Heum. *fuerunt* esse elegantius.

Defensores necis] Depulsores: ex multis vide Mencken. Observat. L. L. p. 229.

Etiam si quid ipsi accidat] Hic εὐφημισμὸς non semper ad mortem pertinet: vide Manut. et Cortium ad X. Epist. 23. Hoc loco damnationem significat, ex qua non mors Miloni, sed exsilium, quod unum poterat, obtigit. Quamquam de Milonis *capite* utique agebatur; sed non ut tolleretur, verum, ut ea, quam ita ICti vocant, *capitis deminutio* consequeretur iudicium, et damnationem.

Quae sunt habitae nunc] Rom. sec. Ven. Ald. Hervag. et unus Brit. carent particula *nunc*, eamque melius afuturam iudicat Lallem.

Rogas?] Formula quotidiani sermonis, et dialogorum notissima: veluti apud Terent. Phorm. IV. 1. 7. CHR. *Pol me detinuit morbus.* DEM. *Unde, aut qui?* CHR. *Rogas? senectus ipsa est morbus:* et ita comici saepius. Eam tamen repudiat Heumannus, veritus, ne responsionum mensuram conturbet.

De servis nulla lege quaestio est in dominos] Ex uno Erfurt. receptum fuit *dominos* pro vulgato ante Graev. *dominum:* nunc a quatuor Britann. confirmari videtur. Sed ita certe in Partit. c. 34. et in Pandectis XLVIII. 5. 39. §. 8. etc. Lamb. in ed. priore addidit *lege*, unde, ut opinor, habet Lipsius ad Tacit. II. Annal. 30. Hausit vero ille ex aliquo Memmianorum, Erfurtensi adprobante. Heum. ut solet, totam periodum ab aliena manu esse pronunciat, nulla ratione reddita: neque sane ulla inveniri potest idonea. Sensum loci ab eo minime perspectum puto: quem Ferratius VI. Epist. 3. unus omnium investigavit, et vidit. Nimirum nulla de re, quae ad dominum pertineat, quaestio de servis institui lege potest, praeterquam de incestu. Causa coniurationis non addidit, quia id in Catilinaria extraordinarium fuit. Sic enim in Partit. c. 34. *dicendum — de nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui, quum de servis in dominos quaeri noluissent, de incestu tamen, et coniuratione, quae facta, me Consule, est, quaerendum putaverunt.* Itaque in causa P. Sullae, qui reus illius coniurationis erat, de servorum tormentis agitur, tamquam lege permissis. In quo tamen errat ipse Ferratius, dum quod erat legibus vetitum, ad morem maiorum conatur traducere. Sensum autem, quem exposui, firmant sequentia: *cuius de morte, tamquam de caeremoniis violatis, quaeritur:* eumdemque recipi a praepositione *in*, iam satis ostendunt ea, quae notavimus ad c. 49. pro Cluent. et 11. in Vatin. Quae res non observata fraudi aliis alibi, et hic Heumanno fuit.

Proxime deos] Verissima lectio, etsi abiectam il-

lam, infirmamque malit Heum. *proxime ad deos.* Audiendi enim sunt duo Grammatici veteres, Priscianus p. 1172. et Arusianus, apud quem nunc Frontonis nomine ex cod. Ambrosiano editum mendose legi video *deas*, quum recte in cod. Neap. sit, *proxime deos.* In primis vero Tulliani codices audiendi, qui plurimi sunt, tum ab aliis adhibiti, tum a me inspecti, Bavar. Barb. et meus, omnesque Brit. editiones denique veteres Rom. et ambae Ven. praepositionem omittentes. Quam retinet quidem Victorius haec illustrans XXXV. V. L. 11. sed eiiciendam idem iudicat XIX. 20. non Prisciano solum citato, verum etiam Tullianis ab se consultis codicibus: eique merito adstipulatur Muretus XIX. V. L. 17. quem vide. Gronov. adde III. Observ. 2. et ad Liv. VIII. 32. XXII. 40. VI. 42. ubi etiam Drak. est consulendus. Omnino nihil illustrius.

Non quia non posset verum inveniri] Ex Erfurt. cui Bavaricum addo, Graev. probavit, Ernest. recepit, *non quin non.* Schellerus p. 119. monstrum id esse putat, et profecto insolens est. Sed simile Gellianum illud X. 5. *de quo* (verbo) *nihil dici potest, quin duplex non sit,* quum vellet, opinor, dicere, *quin simplex sit.* Cicero ipse V. ad Attic. 11. *non dubitabat, quin impetrari non posset:* quod tamen apertum est. Sed alia huius loci ratio: quo si fuerit, *non quin posset,* ut VII. ad Att. 26. *non quin rectum esset, sed quia* etc. dicerem, *quia non* solutionem esse particulae *quin.* Si emendatio quaerenda esset, legerem, *non quo ita non posset,* ut *quo ita* coalescendo fecerit *quia.* Nunc qui negationum sine idonea causa concursus? *noluerunt, non quin non posset.* Quid ingratius, durius, asperius? De particula *quin* eumdem Gellium si consulas XVII. 13. quibus ea salebris antiquitus obsita fuerit, cognosces: quas quidem Tullii stilus, et consuetudo respuit, et aversatur. Vulgatam retineo, quae optima, Ciceroni usitata, et firmissima est: duorum codicum, quamquam optimi sunt, mendum esse illud

arbitror, quod levissimum est, ac facillimum. Graev. subiunctivum voluit ei particulae tradere, quae postularet: alteram *quia* subiunctivo iungi nolebat, ut videre licet ad II. Philipp. 8. quod tamen tam saepe fit, ut mirer a tali viro improbari penitus potuisse. Sed ex sententia, eiusque inita exprimendae ratione diiudicandum est, quem verbi modum *quia* sibi velit adiungi. Hic optime convenit, *noluerunt, quia videbatur:* contra in ea parte, quae negat, dicendum fuit, *non quia non posset;* nam sic utique poterat verum inveniri; atque adeo Tullius ipse in Topic. c. 20. *verberibus,* inquit, *tormentis, igni fatigati quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.* Ita IV. Tuscul. 22. *nec Marcellum* (existimo) *apud Clastidium ideo fortem fuisse, quia fuerit iratus:* ubi si *fuit* cum cod. Barb. aliisque legeres, iam non negaret Cicero iratum fuisse Marcellum. Seneca epist. 87. *divitias,* ait, *esse causas malorum, non quia ipsae faciant, sed quia facturos irritant.* Neque alia eorum est locorum ratio, qualis est I. Tuscul. 1. *hoc mihi Latinis litteris illustrandum putavi: non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset: sed meum semper iudicium fuit,* etc. Itaque, quum apud Livium lego XL. 33. *morantibus iis, non quia ipsi cunctati sunt, sed quia profectos a domo inexplicabiles continuis imbribus viae, et inflati amnes tenebant,* emendandum facile intelligo, *cunctati sint.* Item apud Tullium in Partit. c. 14. perperam editur, *nec eo dicuntur sine arte quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars* etc. est enim legendum, *quod ita sint,* ut in cod. Barb. scriptum invenio. Ne Schutzius quidem emendavit, quum in cod. Guelferb. viderit, *non quia ita sint, sed quia* etc. Similiter ex optimo codice Mediceo, aliisque locum Plinii V. epist. 8. 1. emendavit Cortius, Tullianumque hunc adtulit in exemplum modi variati: quod quidem hominis est de verbis magis, quam de sententia, cogitantis: sed tamen is vere

monuit. Est enim in ea parte, quae adfirmat, indicativus saepe non necessarius, aliquando etiam in parte altera subiunctivus, veluti I. de Finib. 10. quamquam in hac orationis directae conformatione subiunctivos necessarios indicativi aptissime subsequuntur. Cortius igitur non probavit modo, verum etiam defendit, *non quia non posset.* Vide Iac. quoque Gronov. ad I. de Invent. 11. ubi de formula, *non quo, sed quia.*

Sed quia videbatur indignum, et dominis] Creditum est, v. *esse* casu omissum fuisse in Gruteriana, quod in aliis omnibus exstat, etiam in Erfurt. et Bavar. In pr. Ven. est, *sed quia videbant indignum esse.* Atqui, quum optimi Coloniensis lectionem unicam sequi se Gruter. profiteatur, consulto id verbum omisit, quod in eo cod. non exstare testatur Modius T. V. Fac. Crit. p. 103. quum quidem rectius absit, et manu aliena inlatum fuerit locis compluribus. Iam Gruter. suo testimonio comprobat, quod iam subodoratus eram, Modii membranas, quas ille nomine semel tantummodo adpellat in extremo, semper esse Colonienses illas egregias. Simul docemur, Coloniensem ipsum cum vulgatis habere, *non quia non posset,* quod modo defendimus, ut nihil iam dubitationis debeat superesse. Modius etenim totum locum cum eo codice contulit. Ex Britann. unus videtur *esse* non habere, alter *dominis,* non *domini,* ut mendose omnes, uno excepto Coloniensi, cum hoc exhibere.

Heus tu, Rufio, verbi causa, cave, sis, mentiaris] Bavar. ita plane cum aliis optimis. Heumann. tamen mancum, ut olim fuit, et mendosum locum relinquere maluit, immo etiam breviorem, *Heus tu, Ruscio, tu, Casca, Clodius* etc. Erat vero in Rom. et Venetis, ut in cod. Barb. et meo, et quinque Britann. *ubi causa,* quo mendo id continetur, quod in multis, optimisque libris loco peraptum exstat, *verbi causa.* Hoc sprevit Heumann. ut Aldinae interpolationi, et librariorum commento fidem adiungeret. Quid huc Ser-

viliorum cognomen? qua quidem e gente duos Cascas Caesaris interfectores memorat Cicero II. Phil. 11. Est autem hunc locum imitatus Mamertinus iunior in paneg. ad Iulian. c. 13. Denique non erat a bono critico egregia duorum Fabric. et trium Gruteri codicum additio spernenda, *cave, sis, mentiaris:* quibus codicibus unus erat addendus, ex quo Lamb. iam in ed. priore dederat, *cave, sis, mentiare,* quem secutus est Olivetus, neque aliter adscriptum alterius margini eadem manu Oxonienses invenerunt. Multo etiam minus Heumanno in verbo *sis* erat haerendum. Quid enim aut aptius, aut planius? Plautus in Persa V. 2. 35. *cave, sis, me adtingas,* et in Trin. II. 4. 112. *cave, sis, feceris.* Quin etiam ubi minus id postules, habet tamen ipse aliquando Tullius; veluti pro Sex. Roscio 16. *refer animum, sis, ad veritatem,* et II. Tusc. 17. *Age, sis, nunc de ratione videamus.* Reliquum est, ut servi nomen emendetur. Is est *Rufio* diserte in uno Memm. in Bavarico, in tribus optimis Quinctil. VIII. 3. p. 686. Turic. Florent. et Guelf. neque dubito, quin etiam in Erfurt. Proxime adcedit in Britann. *Rusio,* inde in vulg. *Ruscio,* in aliis *Risio,* et menda complura. Servile id nomen, quod libertis adhaesit, exempli causa ex maxime usitatis adsumptum. Illius frequentiam ostendunt inscriptiones plurimae apud summum antiquitatum lumen, Caiet. Marinium, Monum. Arval. p. 249. qui a pueritia mihi coniunctissimus, magno meo maerore, nuper peregre est mortuus. Deminutivum a *Rufo* Turnebus existimat XXVIII. Advers. 27. C. Sempronium Rufum Cicero servili nomine *Rufionem* adpellabat, haud magis deridendi hominis causa, quam contemnendi. Vide Manut. ad V. ad Attic. 2. et Popmam ad XIV. 14. tum confer VIII. ad divers. 8. Nec *Rufio* ille, qui memoratur VII. ibid. 20. gentilis erat, ut existimatur, Trebatii, sed omnino libertus architectus. Qui liberti non erant, eos tamen libertini generis fuisse, nomine ipso declaratur: veluti, P. HE-

TEREIUS. RUFIO. apud Murator. VIII. 11. Tamen apud Cluver. I. A. p. 295. C. FRASELLIO. C. F. RUFIONI. EQ. PUBL — PATR. COL. ARIM*inensis:* sed fortasse ne is quidem est excipiendus.

Sperata libertas] Heumanni egregia est coniectura, *parata libertas.* VIII. Philipp. 10. *aut libertas parata victori est, aut mors exposita victo.* Adde, quae habet Oudend. ad I. de Invent. 29. *impiis apud inferos poenas esse paratas.* Sic pro *paratis honoribus* dederunt male *speratis* aliquot Pliniani codices VII. Epist. 25. 2. ubi Cortium vide. Eadem fuit permutatio pro domo 21.

Subito adrepti] Erfurt. *abrepti:* quod quum receperint Oxonienses, vulgatam ex quatuor suis adnotant, ut quinque reliquos cum Erf. facere intelligamus. Eadem permutatio in Suetonii Aug. XVII. Tib. XLV. et passim: in his autem orationibus animadversa iamdiu V. in Verr. 7. pro Cluent. 33. in Pison. 34. III. Phil. 12. et forte alibi. Atque iis quidem locis omnibus Ciceronem verbo *abripere* usum esse, aut exploratum, aut multo est probabilius. Confer Pareum in Lex. crit. p. 10. Sed hic ita se mihi probat utrumque, ut eligere alios malim, nihil interea mutandum censeam: praesertim quum in Bavar. sit, *adrepti.* Terent. Andr. IV. 4. 47. *hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi:* ubi tamen cod. Bodleian. *in cruciatum adripi.* Livius III. 13. *Virginius adripi iubet hominem, et in vincula duci;* et c. 56. *nullo morante, adreptus a viatore.* Plautus Curcul. V. 3. 17. *Hoccine pacto indemnatum, atque intestatum me adripi?* Drak. ad priorem illum Livii locum, quasi metuens, ne quis ibi *abripi* malit, Livianos codices hoc Ciceronis loco tuetur: in quo sine ulla suspicione *adrepti* servat etiam I. F. Gronov. Lect. Plaut. p. 97. ubi quae hic a Tullio *arca* dicitur, eam *robustum carcerem* a Plauto vocari docet. *Adrepti* autem dicuntur per vim capti, atque prehensi.

Cap. XXIII. *Quae fuerit*] Britann. tres, *quae fuit*, qua de forma diximus paullo ante ad c. 18. Sed ea non ubique, nec temere adoptanda. Bavar. *quae fuerat*.

Senatui commisit] Quum omnes non optimae notae libri, in iis cod. Barb. et meus, et septem Britann. cum omnibus ante Ald. editis nullum habeant hoc loco verbum (quae pars est reliqua maioris lacunae a repetitione profectae vocis *Senatui*, ut facile intelligitur, et ut docet unus Brit. in quo est, *sed etiam Senatui modo* etc.) verbum autem aliquod adesse oporteat: et quum *tradidit* ab Aldo inlatum sit, ex sequentibus petitum, quod meus quoque cod. pro subplemento adnotatum habet in margine, usque ad Lamb. postea retentum, qui solus habet subpositum aliud, *permisit*, ex aliquo fortasse Memmiano depromptum: manifestum est, parendum optimis esse codicibus, Saxonico, Gruter. tribus, et Bavarico; quibuscum duo Brit. et Rhetores, qui hoc *gradationis* exemplum adferunt, item duo consentiunt, Aquila de fig. c. 40. et Capella p. 430. Capp. Respondet vero non *tradidisset*, sed *commiserat*. Ceterum sensum, et syntaxin huius verbi expulsione turbatam Rom. et sec. Ven. sic resarciunt: *Neque vero populo solum, sed etiam Senatui modo* etc. *se umquam profecto hic tradidisset*, etc. omisso *cui*, et duabus periodis in unum conflatis. Prior Ven. *qui numquam se huic* etc. Iam ergo ab his edd. *hic* confirmatur, quod a Fabric. Lamb. adcepit, et a Grut. reductum improbavit Heumannus. Est etiam in Bavar. et Britannicis, quum a meo, et Barb. atque a meis aliis ante Grut. editis ignoretur. Est tamen apud Modium T. V. F. C. p. 121. *Cui se numquam profecto tradidisset*.

Magna metuenti] Mirum est, in Modii MStis l. c. in cod. Ursini, in Rom. et sec. Ven. legi, *magna intuenti*, idque a Modio praeferri. Satis enim de metu Pompeii constat ex c. 24. et 25. isque metus aliquo

modo excusatur, quum dicitur, *magna* illum *metuere.* Nam Clodiani, ceterique Milonis inimici sane quam multi, qui suspiciosum, et credulum Pompeii animum noverant, ingentes ei metus fictis sermonibus, et fabellis, submittendo etiam alios, et subornando, callide obiiciebant. Conferendum Asconii quoque argumentum. Cicero de se Consule pro Sulla 30. *Ego, iudices, de tantis omnium periculis quum quaererem omnia, multa audirem, non crederem omnia, caverem omnia;* ut infra c. 24. *cavebat magis Pompeius, quam timebat, — omnino omnia.*

Ut neque timeant] Statii Scholiastes ad illud Thebaid. II. 490. *O semper timidum scelus,* sic adnotat: iuxta Tullium dicentem, *ut nihil timeant, qui nihil commiserint, et poenam ante oculos versari putent, qui peccaverint.*

Sed nonnullorum etiam imperitorum] Deest *etiam* in Hervag. omnibusque ante Naug. editis, in meo cod. in Barb. septemque Britann. Necesse non esse, ut adsit, vel ex Tursellino constat, neque similiter desinentia praeter consuetudinem iungerentur. Sed, quum in Bavar. sit, in aliis optimis videtur fuisse. Itaque non reiicio: tantum observo, quae statim sequitur, eam non inimici hominis esse orationem, sed potius facti rationem, Milonisque animum ignorantis.

Negabant] Ante Grut. *qui negabant:* delevit ille pronomen suorum codicum auctoritate, quibuscum consentiunt Erfurt. Pith. Bavar. octo Britann. Barb. et meus, et prior Ven. His repugnat Heumannus. Sed tot, tamque bonis auctoribus fidem ratio conciliat. Habet enim ea vox speciem non mediocrem glossematis: nam olim emendatores, ut vidimus ad c. 23. in Pison. orationis nexum ita se reducere arbitrabantur. Cod. C. Steph. *qui negabant eum esse Romam rediturum.*

Tanti mortem P. Clodii putasse] In Partit. c. 32. *Spectantur etiam ad causam facti motus animorum — si facinoris voluptas maior, quam damnationis*

dolor. Adpositus est maxime, qui apud Abrahmium legitur Virgilii locus Aeneid. II, 585. quo Aeneae verba proferuntur Helenam interficere cogitantis:

Exstinxisse nefas tamen, et sumpsisse merentis
Laudabor poenas, animumque explesse iuvabit.

Ubi, nescio quomodo, *poenas merentes* intellexit Heinsius, quem est secutus Heynius, ut v. 576. *sceleratas*, quum *merentis* Helenae commodius videatur, h. e. de Helena merente, per Graecismum planissimum. De ipso autem Milone antea, Marcellino Consule, IV. ad Attic. 3. *Clodium*, inquit, *si se inter viam obtulerit, occisum iri a Milone video. Non dubitat facere, prae se fert, casum illum nostrum non extimescit.*

Cederet aequo animo legibus] Gesnerus in Thes. h. v. n. 4. ita hoc explicat: subiret poenam legibus statutam potius, quam iis repugnaret. At Ernestus vocem firmissimam *legibus*, tamquam spuriam, uncis inclusit. Quid, inquit, *legibus* hoc loco? idem, quod alibi *tempori*, quod semper ei rei, quae maxime adversaria est, quum ei cedere aliquem dicimus. An etenim dubitandum, quin homicidium eiusmodi voluntarium legibus vindicaretur? Si leges removeas, quo *suo periculo* Milo Clodium interfecisset? quae iam causa supererat, cur sponte in exsilium abiret? Nam et *periculum* hic, ut supra c. 16. et infra c. 27. non ipsum facti discrimen adtingit, sed in consequens tempus cadit: et *cedere legibus* non is dicitur, qui damnatus est, verum qui, ut in se valeant, ipse facit, praesertim si laxamenti aliquid meritus videatur, idque ut obtineat, possit aliqua ratione contendere. Confer omnino Cortium ad Sallust. Catil. Exc. IV. cuius fere ad praescriptum Gesnerus hunc locum explicavit.

Catilinam, atque illa portenta loquebantur] IX. ad Attic. 12. *Hic quidem mera scelera loquuntur.* Tacitus I. Histor. 50. *Pharsaliam, Philippos, et Perusiam, ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur.*

Cap. XXIV. *Congesta*] Lamb. varietatem adtulit, nescio unde sumptam, *coniecta*, ex aliquo fortasse cod. Memmiano. Sic solent librarii, ut ostendit Drak. ad Livium III. 38.

Quae quemvis] Lambinus quod ante se vulgabatur, et codices multi cum Barb. servant, *quae quamvis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent*, improbavit, non ferens, *quamvis conscientiam*. Heumannus igitur *etiam* delevit, ut *quamvis* ad *mediocrium* referre posset: ac sane in summa quidem corruptela, sed tamen *etiam* Erfurtensis omittit. Fabricius ex duobus codicibus hanc lectionem protulit, qua nunc utimur, a Grut. ex optimo Colon. et Werdensi propagatam, quibus adcedunt Bavar. et meus, et duo Britann. quum quidem in quatuor eorum sit *quamvis*, et *conscientia*, in tribus reliquis *quemvis*, et *conscientiam*. Probavit hanc Schottus III. Nod. Cic. 13. sed scrupulum Lambini non sustulit, qui ablativum *conscientia*, quasi locum obtineat instrumenti, damnaverat, et audacter ita dederat, *quae quemvis etiam mediocrium delictorum conscium perculissent*. Ernestus itaque leniter, *etiam in m. d. conscientia*. Facile *in* excidere potuit inter duo *m* positum. Verumtamen tum ipsum *in* subaudiri fortasse potest, tum ablativus causalis per se consistere, tum denique possessivus a *quemvis* pendere, Gronovium adisse iuvabit IV. Observ. 17. sed Wopkensium magis I. Lect. Tull. 12. p. 69. Sed anceps mihi iudicium est.

Ut sustinuit?] Figuram, quam illustravit Abramius, sustulit Charisius p. 202. sic recitans: *ut substinuit? immo vero ut contempsit?*

Scutorum, gladiorum, sparorum, pilorumque] A duobus Fabricii, a tribus Graevii codicibus, a Bavar. Barb. meo, sex Brit. et priore Ven. vox *sparorum* omittitur, quam Rom. et sec. Ven. cum aliis adgnoscunt. Britann. alius, *gladiorum, framearum, sparorum*, plane ut volebant Lamb. et Heum. atque ut ha-

bet Cluverius I. German. ant. 44. p. 359. Eorundem alius, *gladiorum Hispanorum, frenorum, sparorum.* Sed quum in mei cod. margine ad v. *frenorum* pro varietate adnotatum sit *Hispanorum*, existit inde lectio probabilis, *scutorum, gladiorum Hispanorum, pilorumque;* ut cetera unius vocis corruptio pepererit. De gladiis Hispanis consule interpretes Livii ad VII. 10. Est autem observandum, apud Polybium VI. 21. in hastatorum armis haec ipsa tantummodo numerari, scutum, gladium Hispanum, et pila duo. Sed militaria Romanorum esse omnia, quae hic memorantur arma, necesse non est. De *framea* egit Vossius in Etymol. et I. de vitiis serm. 3. Lipsiusque ad Taciti German. c. 6. de *sparo* Marc. Donatus ad Liv. XXXIV. 15. et idem Vossius: de utroque Cluver. l. c. p. 353. 358. et hic Abram. *Framea* telum esse potuit gladiatorium: siquidem, quamquam a *rhomphaea* dictam non puto, a qua potius est *rumpia*, tamen erat *rhomphaeae* similis, qua Clodii humerum, ut est in Asconii argumento, gladiator Milonis servus Birrhia traiecit. Inter nomina telorum a Gellio conlecta X. 25. *quae in historiis,* inquit ille, *veteribus scripta sunt,* leguntur *spari, frameae, rumpiae.* In his varietatibus vocem *frenorum,* quae locum hic non esse legitimum nacta videbatur, delendam putavi. Ei nisi placeat *Hispanorum* substituere, malim *sparorum;* quippe qui censeam, *Hispanorum, sparorum, frenorum, framearum,* unius vocis esse varietates, non duarum.

Indicabatur] Lamb. in ed. prima labem depulit. *iudicabatur*, qua hic erat contactus locus, ut alii multi, propter eam commutationem, de qua diximus ad IV. in Catil. 3. in MStis fere perpetuam. Arntzenium adde ad Plinii paneg. XIV. 5. Nam proprie crimina *indicari*, et omnia, quae celantur, nemo est, qui nesciat. Lambino tacite paruit Grut. et huic omnes postea. Bavarici testimonium adiicio, Barb. septem Britann. et mei.

Domus in clivo Capitolino scutis referta] Ex antecedente *dicebant* repetendum est, ac passive subaudiendum *dicebatur.* Syllepses observatae multae fuerunt: vide potissimum quas notavit Cortius ad Sallust. Catil. XXX. 6. XXXVI. 3. Ex verbo passivo activum est adsumendum III. de offic. 11. *Sed utilitatis specie in rep. saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri.* Quid ni aliquando etiam ex activo passivum? Heumann. certe perperam emendavit *refertas:* plures enim uno in clivo domus in hanc suspicionem venisse, non est verisimile. At Ernestus recte, *domum — refertam.* Neque tamen adversus omnes libros hic ulla mihi videtur necessaria mutatio. Quid enim iis locis faciendum, quibus nominativis adcusativi succedunt? Eiusmodi unum vidimus Ciceronis ipsius pro Caelio c. 32. ubi Ennianum alterum indicavimus: iisque nunc addo tertium ex Plauti Trinummo III. 3. 38. *Is homo exornetur graphice peregrinum in modum, Ignota facies, quae non visitata sit, Falsidicum, confidentem.*

Malleolorum] Cod. meus, et octo Britann. ed. Rom. sec. Ven. et Aldus, *malleorum:* eaque mendosa lectio, quam servat etiam Parrhasius, decepit Popmam ad Caton. R. R. XL. 4. Vide autem Drak. ad Livium XXXVIII. 6.

Quibus tota commissa est resp.] Nulla erat causa, cur vox *tota* suspecta esset Ernesto. Nam etiam paullo infra in hac eadem re legitur, *tota rep. suscepta,* et supra c. 23. cui Senatus *totam remp. omnem Italiae pubem, cuncta populi Rom. arma commiserat.* Erat autem Pompeio tota commissa res publica, *quum Senatus,* ut dicitur c. 26. *ei commiserit, ut videret, ne quid res publica detrimenti caperet, quo uno versiculo satis armati semper Consules fuerunt:* cuius SCti vim explicat inter alios Sallustius Catil. XXIX. 3. et nihil est pervulgatius. Denique hoc dictum suum, prout Senatus voluntas ferebat, luculenter ipse Tullius expo-

nit c. 25. *omnes tibi reip. partes aegras, et labantes, ut eos his armis sanares, et confirmares, esse commissas.* Aliquando etenim una erat reip. pars, aut alicui commissa, aut ab aliquo sponte suscepta, negotium scilicet aliquod, seu causa publica: ut res frumentaria eidem Pompeio SCto commissa, de qua pro domo c. 7. ad 10.: ut iudiciorum severitas, quam se Verre adcusando reducendam suscepisse Cicero profitetur c. 3. in Caecil. tamquam *eam reip. partem, quae maxime laboraret:* ut illud denique, in quo supra c. 15. *gravissimam reip. partem* M. Antonius dicitur suscepisse.

Quin etiam popa Licinius] Heumann. T. I. Poecil. p. 378. hanc periodum ita constituit: *Quin etiam popa Licinius nescio quis de circo maximo, servos Milonis apud se ebrios factos sibi confessos, se de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse, deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret, Pompeio in hortos nuntiavit.* Primum leviora videamus. Recte Lamb. ex duob. Fabric. et Graev. *nescio qui,* adstipulante Bavarico: sic enim saepe optimi Tulliani codices, ut vidimus, docuitque Pareus Lex. crit. p. 73. atque inde mendum exortum est in cod. Barb. sex Britann. et meo, tum in ed. Romana, et utraque Ven. *nescio quid de circo,* sequente littera, ut fit, duplicata. Quod Heum. pro *esse* posuit *se,* iam refutatus est ab H. Ioh. Arntzenio ad Sedulium IV. 80. nosque hanc ellipsin pronominis *se* optimis quibusque usitatam olim adtigimus ad I. Act. in Verr. 8. Quam quidem ipsam Graev. defendit infra c. 35. sed hic obscuritatis eum metus invasit, qui nullus esse debuit. Lambini, et Ernesti eadem causa est. Iam venio ad eam rem, quam Heum. habet praecipuam. Delet voces in libris omnibus exstantes duas, *fuerit audiendus,* ut est in Fabric. Graev. Bavar. et uno Brit. sive, ut male plerique, *audiendus sit.* Ernestum coniicientem, *audiendus fuit,* audire non oportet. Est enim *fuerit*

subiunctivus concessionis, cuiusmodi alios in hac ipsa oratione observatos a Diomede vidimus ad c. 17. Adde Wopkens. I. Lect. Tull. 14. p. 83. Popam Cicero primum nollet auditum, deinde audiendum concedit, sed negat ei credendum fuisse; *sed mirabar tamen credi popae.* Ernesto autem, et Heumanno communis fuit scopulus concisa locutio, *Licinius audiendus fuerit, servos Milonis sibi confessos esse.* Hunc Ernestus interpunctione modeste vitavit. Punctum enim ante v. *servos* adpositum hosce omnes infinitivos verbo *nuntiavit* adtribuit. Idem quum vellet Heumannus, non punctum, sed vulnus inflixit. Sed qui tandem erat scopulus? Nollem doctum virum oblitum esse tam cito, se locutionem huic similem modo probasse c. 18. *liberatur Milo, non eo consilio profectus esse,* etc. Atque, ut etiam propius accedam, quam multis Latinorum elegantium locis verbum *dicere* hoc modo subaudiendum relinquitur? plurimos conlegerunt Cortius, Drakenb. alii, et praecipue Perizonius ad Sanctii Minervam IV. 5. p. 818. Scheid. Unum ponam huic simillimum Livii locum IV. 20. *quum Augustum Caesarem, se ipsum in thorace linteo scriptum legisse, audissem,* quum scilicet Augustum *dicentem* audissem, ut hic, *fuerit audiendus popa Licinius* dicens, *servos* etc. Denique hanc vim, usumque verbi *audio* cum ipsum Livii locum tractans idem Perizonius Anim. Histor. c. VII. p. 271. sic illustravit, ut nihil iam sit apertius. Notavit etiam Gesner. in Thes. h. v. n. 3. Formulam *deinde postea,* quam improbat Manutius, defendunt Perizon. ad Min. III. 14. p. 648. et Mencken. Observ. L. L. p. 234.

De circo maximo] A loco, ubi Licinius habitabat, ut lapis apud Sponium p. 268. POMARIUS. DE. CIRCO. MAXIMO. similesque alii plurimi. Turnebum vide XXVII. Advers. 31. et Cannegieter. in primis ad Aviani fab. XXXVI. p. 198. et adde Fabretti lapidem p. 337. De tabernis in circo Ernestus ad Tacit. XV.

Annal. 28. Popinam exercuisse Licinius videtur, ut femina etiam illa, CRITONIA. Q. L. PHILENIA. POPA. DE. INSULA. in Fabrettiano alio lapide, de quo ibidem agit Cannegieterus. Sic etiam pro Cluent. 59. *A Binnium quemdam Coponem de via Latina.* Hinc facile intelligitur, audiendos non esse Fabricii codices habentes, *ex circo*, neque editiones nescio quas, ex quibus Parrhasius citat, *in circo.* Neque magis Ernesto adsentior delenti *maximo*, quasi a Fabricianis id absit, quod neque dicit ille, neque ullo loco Lamb. testatur, quum non reiecerit, neque adnotarit, ut solet. At semper, inquit, est alibi *de circo* tantum; quasi quum *circum* dixeris, semper maximus intelligatur. Atqui I. in Verr. 59. *quis a signo Vertumni in circum maximum venit*, etc. In loci demonstratione praesertim addenda ea vox fuit, ne qui debet in maximo quaeri, in Flaminio quaeratur: quod lapis ille Sponianus ostendit. Apud Varronem potius IV. de L. L. p. 36. l. 38. ubi circi etymologia traditur, adiectio illa recte tolletur: *item circus maximus dictus, quod circum spectaculis aedificatus*, etc. quod circis omnibus convenit.

Confessionem servorum] Haec erat ante Lamb. varietas, ut alii *ebriosorum* adiicerent, alii *ebriorum*, quod merito praeferebat Ursinus. Nota permutatio, ut vidimus ad II. in Catil. 5. Sed iamdudum vox illa sublata, quam ignorant optimi quique codices: Coloniensis apud Modium T. V. F. C. p. 104. Saxon. Erfurt. Bavar. quinque Britann. Barb. et meus, editique ante Naugerium. Olivet. tamen, et Lallem. *ebriosorum conf. serv.* retulerunt. Duae praeterea voces adduntur in margine cod. Barb. ut fiat, *sed mirabar tamen credi popae potuisse, ebriamque confessionem servorum audiri.* Non uno modo locum auxerunt interpretes.

Pro ictu gladiatoris probari.] Quamquam in Saxon. et Bav. sit cum plerisque *putari*, praeferendum tamen est omnino *probari* ex Colon. Erfurt. et Hittorp. Ruhnkenius ad Rutil. Lupum [illegible] hanc locutionem

egregie, ut solet, illustrat, firmatque longe melius, quam fecerat olim Modius l. c. Adde I. de invent. 48. *saepe obscurius positum vitium pro vero probatur,* ubi recte Schutzius delendum censuit, *positum.* Iulius Severianus p. 345. Capp. legit, *quod acu inflictum videretur*, h. e. *vulnus,* quum in vulgata *punctum* referatur ad latus. Est *vulnus infligere* c. 14. in Pison. II. Philipp. 21. etc. Sed a voce *punctum* mirifice res extenuatur: et qui eam vocem perperam referebant ad *vulnus*, neque ita explicare commode poterant, alteram illam forsitan intulerunt. Gesnerum ipsum demiror *vulnus acu punctum* intellexisse.

Verum, ut intelligo] Grut. habet *verumtamen* a repet. Lamb. quod Ernest. quoque servavit: illi autem unde sumpserint, non video, nisi ex priore ipsius Lamb. editione, quam in posteriore correxit, ut Graev. et Heum. et Olivet. ex uno Saxon. cui nunc addo Bavaricum. Omnes alii et mei, et Britann. mendosius, *verum etiam.*

Sed omnino omnia] Vocem *omnino* delevit Lamb. quae deest in priore quoque Ven. Ald. Naug. Cam. et Gryph. in MStis Bavar. Barb. meo, et quinque Brit. Contra Rom. sec. Ven. longoque intervallo Aldus nepos cum reliquis Brit. habent *omnino,* et mendose omittunt *omnia:* etiam pro varietate *omnino* exstat in mei cod. margine. Altera igitur vox alteram extrusisse propter similitudinem videatur. Neque vero insolens Tullio est, aut ab hoc loco alienum, utramque coniungere. Erf. *ne vos aliquid timeretis.*

Virum] Primus *virum* C. Steph. ex suo cod. protulit, quod Fabriciani, et Graev. et Bavar. meique alii confirmant, et prior Ven. et septem Brit. Erat ante Lamb. *civem,* ut Grut. et Olivet. Nam Lallem. ex Regiis, Heum. et Ernest. *virum* probarunt.

Tota rep. suscepta] Coloniensis cod. eximius postulat, ut eius lectio unica, ab aliis neglecta, honore tandem aliquo adficiatur. Habet enim, *pro tota rep.*

suscepta: quod rectum esse, a nemine intellectum miror. Gulielm. ipse, qui protulit, deterius emendatione faciebat: *diligentiam pro tota rep. susceptam.* Nam *pro* respectum habet in se ad munus, atque officium illius, qui totam remp. susceperit. Pro domo c. 12. *quid mihi pro exspectatione populi Rom. pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit:* pro Cluentio c. 58. *quibus de rebus mihi pro Cluentii voluntate nimium, pro reip. dignitate parum, pro vestra prudentia satis dixisse videor:* III. Philipp. 14. *sunt impii cives, pro caritate reip. nimium multi, pro multitudine bene sentientium admodum pauci.* Verumtamen nolui *pro* recipere, quod satis elegans est sine praepositione ablativus, et *pro* videri facile potest ex notis usitatis *p. ro.* coaluisse, quod alibi evenit in MStis etiam optimis, veluti II. Philipp. 17. Ita fieret, *populi Rom. tota* etc. vel potius, quum *pro* traiici facillime potuerit, *tota rep. populi Romani suscepta.* Hac de formula Ruhnkenium diligentissime agentem consule ad Velleium II. 16. 4. Vulgatus igitur ablativus eodem redit: quum totam, inquit, remp. tuendam Pompeius susceperit. Ita II. de Orat. 24. *Causas dicunt incognitas: in quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiae, susceptis rebus, vel perfidiae, receptis.* In rebus susceptis negligentia ibi vituperatur, ut hic diligentia laudatur. *Suscipere* autem latissime patet, locumque habet in iis ipsis rebus, quae *recipiuntur.* Id etsi constat multis ex locis, exempli tamen causa duos nomino, pro Sex. Roscio 1. et 21. et pro P. Sulla 6. Nemo itaque hic *suscepta* damnet, quia Pompeio fuerat tota resp. a Senatu commissa. Iam vero quid, inquies, illa oppositione fiet, *susceptis, receptis?* quid illa grammaticis celebrata differentia, *recipimus rogati, suscipimus ultro,* quam ab Agroetio p. 2272. Putsch. acceptam Gesnerus, et Ernestus alios secuti comprobant? Tenendum est, multa saepe promiscue adhibita tum aliquam differentiam prodere, quum

opponuntur. Illum autem locum adiuncta explicant, *negligentiae*, *perfidiae*. Nimirum omnia modis omnibus *suscipiuntur*, ea vero *recipiuntur*, in quibus fides implorata interponitur. Ita magna de genere parte detracta, genus ipsum in reliqua parte consistit. Quadrat hoc etiam in locum similem Divinat. in Caec. c. 8. ubi Hottom. Agroetii explicatione producta, locos admiscet, qui differentiam illam, quia oppositionem non continent, tollere videantur; dum tamen sententia ei favent. Confer ibid. c. 1. Sunt alia eiusmodi plura. De his autem lectionibus aliorum esto iudicium.

Ut, eo tacente,] Ex Saxon. Erfurt. et Bavar. *ut* recepi cum Graevio. Ernestus neque improbavit, neque adscivit. Heum. vero, Olivet. et Lallem. vulgatum *nisi* retulerunt, ex commutatione, quam in hac oratione saepe factam vidimus, quae ratione diiudicandam varietatem relinquit. Sed, quid optimi libri adferant, non intellexerunt. Nam, si *nisi* retineas, consequitur, purgaturum viam suam Milonem fuisse, si res ipsa loqueretur, et purgasse, quum locuta sit: quod absurdum esse negari nequit. Itaque locum hic non habet exceptio ad fidem, atque conditio; sed huius facti Miloniani causa, quae per *ut* optima inducitur. Asconius ad c. 25. quum Senatus in porticu Pompeii haberetur, iussisse illum scribit *Milonem unum excuti prius, quam in Senatum intraret.* Idem in argumento: *Dein proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur adligatum dixerat: postulaverat, ut femur nudaret: et ille sine mora tunicam levaverat.* Quoniam igitur Milo fidem infitiando non fecisset, quam vita hominis ab hac suspicione maxime abhorrens merita erat, tacuit, seque denudans fecit, ut res ipsa pro se loqueretur. Vidit enim ex ipsa suspicione se ea non esse existimatione, qua debuit.

Insidiose ficta] Optima est Heumanni, et Ernesti coniectura, *invidiose*. Asconius in argumento: *eaque res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam Miloni*

contraxerat. Eadem permutatio supra c. 19. et pro Sext. 66. Neque tamen plane absurdum est, *insidiose*; nam fictis criminibus Miloni fiebant insidiae. Sed nihil tam occulte agebatur, ac simulate, quam in insidiis factum intelligi solet: aperte Miloni potius, et palam invidia quaerebatur. Quae porro causa est, cur alia in re infra c. 27. non insidiarum nomen, sed invidiae ponatur? *mortuum se in domum eius inlaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum*. Illa vero fuisset per insidias invidia conflata. Ergo quae crimina in Milonem fuerant ad invidiam conficta, quamvis insidiando composita, *invidiose ficta* praestat dicere, ut, quid spectatum sit, exprimatur; quo cognito, iam insidiae, si fuerint, audientem latere non possunt. Hoc mihi videtur scriptoris minime inepti cautio postulare. Denique ex falsitate, quam vel perspicua ratio, vel res ipsa detexit, fictio, eiusque causa per coniunctionem arguitur, quum ea conclusio dialectica veste nihil indigeat. Contra Sallustius Catil. III. 2. *supra ea* (quae sunt), *veluti ficta, pro falsis ducit*.

Cap. XXV. *Ut me exaudire possis*] Non dubitavi ex Asconio pro vulgato *audire* sumere *exaudire*, quod olim Lamb. fecerat, Saxonico, ut quidem videri debet, codice confirmante. Probarunt etiam Cruquius, et Ernestus. Habet enim eam vim hoc loco percommodam, ut Pompeium significet vel ab Aerario haec a Tullio dicta esse auditurum. Pro Sulla 12. *atque ut idem omnes exaudiant, clarissima voce dicam:* pro Ligar. 3. *quantum potero, voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat:* I. ad Attic. 9. *clamores tanti fuerunt, ut ego eo brevior sim, quod eos usque isthinc exauditos putem.* Plautus Mercat. IV. 3. 8. *Sed quae loquatur, exaudire hinc non queo.* Livius XXX. 30. *nos ab Karthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus:* XL. 31. *clamore non tantum ad ardorem pugnae excitandum sublato, sed etiam ut, qui in montibus erant, exaudirent.* Corne-

lius Nepos in Dione IX. 4. *foribus obseratis, fit strepitus, adeo ut exaudiri posset foris.* Seneca I. de clem. 12. *quum in vicino ad aedem Bellonae sedens exaudisset conclamationem* etc. Caesarem adde VI. B. G. 39. VII. 81. ad eumque III. B. Civ. 87. vide Oudend. et Drak. ad Liv. III. 56. ut etiam huius permutationis exempla cognoscas. Illud praeterea apud Ascon. optime, *te enim iam adpello, et ea voce:* nam Pompeium nunc primum Cicero adloquitur: coniunctionem autem, quae deest in aliis, ita positam illustravit ex Tullio Heusingerus iunior ad III. de offic. 33.

Tuas, tuas, inquam] Apta est iteratio, quamvis neget Heumannus, nihilque librarii facilius umquam omiserunt. Confer, quae ad c. 12. adnotavi. Servata est in Saxon. Werdensi, et Bavarico, etiam forte in uno Britann. quum apud Asconium quoque perierit.

Dictitarunt] Ex cod. Saxon. et Bavar. ita dedi pro *dictitant:* etsi propius ad vulgatam adcesserit, *dictitabant.* Munus etenim conquisitorum et aliquanto ante coeperat, et iam desierat. Pompeio ante, quam Consul fieret, Senatus mandaverat, *ut delectus tota Italia haberet*, isque *summa celeritate praesidium comparavit*, ut narrat Asconius in argum. Hoc etiamsi dictitaretur adhuc, certe in ipso dilectu fuit maxime dictitatum: adhuc nimirum a populo, qui audierat, antea ab ipsis conquisitoribus. Eos, nomina ut darentur, coegisse, et *conquirere* esse, ut Festus explicat, *coercere*, Turnebus existimat ad II. Agrar. 35. Id ut aliquando fecerint, perpetuum certe non fuit.

Si excubiae, si vigiliae] Coniunguntur haec etiam pro Planc. c. 42. et promiscue usurpantur, sic tamen, ut vigiliae numquam de diurno tantummodo tempore.

Indicantur] Aeque rectum est hic *iudicantur*, quod habent Erfurt. Pithoean. Bavar. duo Britann. et meus, et notavit olim Barbadorius in Gryphianae margine.

Cum illa ipsa taeterrima peste] Rom. sec. Ven. et quinque Britann. *cum illa taeterrima parte*, et pe-

ste. Prior Ven. *cumque illa taet. peste.* Ald. tres Brit. et meus, *cum illa t. p.* Naug. et alii, *cum illa ipsa t. p.* atque ita etiam Bavar. qui addit *se*, ut Saxon. in quo, *cum ipsa illa t. p. se saepissime*, idque recepit Graev. Barb. et nonus Brit. *cum illa saepe t. p. saepissime*, quasi fuerit, *cum illa se t. p. saepissime.* Sed melius abfuturum *se* cum Heum. et Ernesto iudicavi: vide modo dicta ad c. 24. Bavar. scribit supra, *omnis tibi reip. partis.*

Ad salutem meam] Unus ex Britann. *pro salute mea*, ut respondeat superioribus, *pro tua gloria, pro tua dignitate.* Idem tamen significat, quod vulgata, ad salutem mihi adferendam.

Penitus inhaesisset] Ita Saxon. et alii Lamb. ita Erfurt. duoque alii Gruter. ita Bavar. et duo Britann. ita denique pro varietate cod. meus IV. Tuscul. 11. *inhaeret in visceribus illud malum, exsistitque morbus, et aegrotatio, quae evelli inveterata non possunt; eique morbo nomen est avaritia.* Ibid. *opinatio vehemens, inhaerens, et penitus insita.* Tamen *insedisset*, quod libri omnes reliqui servant, praetulit ipse Lamb. et postea Heumann. non sine causa profecto. Quamquam enim optimi libri, quos enumeravi, auctoritate vincunt, tamen, si iudicium adhibeas, vix hoc verbum putes pro glossa potuisse substitui. Similiter etiam I. ad Attic. 17. *et insedisse quasdam odiosas suspiciones.* Ernestum vide in Indice p. 571 Sic *insidere in animo* ex Tullio ille adfert, et II. de Orat. 28. *in memoria penitus insidere*, et pro L. Man. 3. *macula, quae penitus iam insedit, atque inveteravit in populi Romani nomine.* Britann. unus, *insidisset*, de qua forma vide, quae ad c. 33. in Pison. adnotavi.

Nae iste haud dubitans] Lamb. monuit in veteribus libris omnibus *ne* scribi sine diphthongo. Ita etiam Bav. Barb. et meus, ed. Rom. utraque Ven. et Aldus. Vide ad II. in Catil. 3. Sed mendum hic exstat, quod nemo animadvertit. Nam *iste* Miloni non convenit,

qui defenditur, sed adversariis. Docuit Heusingerus ad c. 7. pro Sex. Roscio, aliique verissime: multisque locis hac observatione nos usi sumus ad crisin. In priore Ven. melius est *ille:* neque tamen id satis est adcuratum, quum de Clodio semper, ut c. 21. notavimus, in hac oratione usurpetur. Proprium esset *hic:* sed recedit a litteris, et sequitur *is*, quod docere mihi videtur, alterum *is* hic fuisse: tam bella inde oritur iteratio: *nae is haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit.* Potuit etiam eleganter *ipse* adhiberi, h. e. sponte sua, ut II. in Catil. 1. *L. Catilinam — ex urbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus.* Hanc huius pronominis significationem, et usum eruit egregie, atque illustravit Ernestus in Ind. p. 579. et ad Callimach. H. Apoll. v. 6. p. 41. pluribus Ciceronis locis adductis. Ad sententiam Heum. adtulit I. de offic. 33. *ex eo modo, quo quisque natus est, quid deceat, exquirimus.* Addo veterem inscriptionem Grut. CDVIII. I. ALIUT. ENIM. VIR. ITA. NATUS. NON. POTEST. FACERE. quam scilicet bene mereri.

Quod nunc etiam facit] Heumann. de coniectura dedit, *facio.* Nihil deterius vidi. *Te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facio,* inquinatio videtur potius, quam emendatio. Sic autem locum intelligo. Tibi Milo patria sponte discedens testimonium denuntiaret in posterum (id enim est *antestari*), monitumque, quasi memoriae causa aure contacta, extremum relinqueret: quod tamen etiam nunc facit, tametsi neque tui conveniendi potestas est facta, neque abit a patria, sed in iudicio se sistit. Quid postea? nihil erat necesse, ut statim Milo ipse loquens induceretur. Sumit sibi admonitionem faciendam Cicero, ut Milonis laudem, suamque ipsius auctoritatem interponat; quae duae res vim non mediocrem, ac pondus adiiciunt. Causa est idonea, quod Milo id per se facere iam non posset. Verbum *antestaretur*, ut ex Acro-

ne colligitur ad Horat. I. Serm. 9. 76. hoc continet: memento, te ipsum mihi aliquando testem futurum, tuas de me suspiciones fuisse inanissimas. Id enim agitur: *tuas, Cn. Pompei, suspiciones perhorrescimus:* Acronis formulae id convenit, *in illa causa mihi testis eris.* Neque vero, quae sequitur, proprie antestatio est, sed antestationis explicatio potius, et demonstratio temporis, quo Milo sibi a Pompeio testimonium praeberi voluerit. Ut enim si quis aliquem in ius vocasset, isque nollet sequi, proximos praesentes, qui audiverant, aure adprehensa, antestabatur, ut sibi apud Praetorem ea de re testimonium dicerent (vide Arntzenium de in ius vocando c. 2. post Miscell. p. 260.): ita Milo, quum optimis rationibus Pompeio se purgasset, neque fidem tamen ei faceret, Pompeium ipsum antestaretur, ut amicitiae perpetua erga illum fide servatae testimonium sibi tum perhiberet, quum aliorum, quibus se nunc insimulantibus crederet, infidum subdolumque animum esset expertus. Quia vero, quum Pompeius Milonem ne audire quidem voluerit, adhuc erat huic antestationi locus, quasi quae pro se Milo dicturus fuerit, Pompeius cognita repudiasset, idcirco additur, *quod nunc etiam facit.* Omittuntur haec quidem in cod. Pithoeano, sed recte, ut opinor, adsunt, etsi correctio sequitur ingeniosa: *Quamquam quis credat* etc. ut iudicibus persuadeat, Milonem, Pompeio non invito, absolvi posse.

Cap. XXVI. *Vide*] Grut. in cod. Hittorp. invenit, *Vides,* et id sententiae convenientius ei videbatur.

Quantae infidelitates in amicitiis] Protulit hoc Lamb. pro varietate, atque ita fortasse in Memmianis. Mihi tam perspicue verum, et Heumanno visum est, ut ei recipienti paruerim. Habemus in Lael. c. 15. *multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles:* et, *sperni veteres amicitias, indulgeri novis:* deinde, *amicitiarum sua cuique permanet stabilis, et certa possessio:* item c. 19. *non enim amicitiarum esse de-*

bent, sicut aliarum rerum, satietates: denique V. Tuscul. 22. *quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat,* etc. Alii omnes, *in amicis*, quod instituto eloquendi generi minus convenit. Sententia vero est egregia in eodem Laelio c. 22. quae huc pertinet: *virtute neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, quum eos gravis aliquis casus experiri cogit.*

Quantae ad tempus aptae simulationes] Ita cum reliqua oratione huic parti convenit. Miror, in solis Eybianis excerptis me hanc lectionem verissimam invenisse. Compendia scribendi fortasse locum depravarunt. Quid est enim, quod vulgo legitur, quasi ex libris omnibus, *quam ad tempus aptae simulationes?* nempe, vide, quam sint ad tempus aptae. Retineri tamen poterit *quam*, et simul *quantae*, quod forte exciderit. Nam optime dictum esset, *vide, — quantae infidelitates in amicitiis, quantae, quam ad tempus aptae, simulationes.* Certe vetus est depravatio, quae Bavaricum, aliosque optimos occuparit.

Erit, erit illud] Locum ita contrahit Rufinianus de figur. sentent. c. 17. *erit ille, atque inlucescet dies* in fideliore Ruhnkenii editione: nam apud Capperonner. p. 33. ex Tullio, ut eduntur, habet omnia usque ad v. *salutaribus*, qua in voce desinere illum placuit. Bavar. *Et erit illud.* Victorius XXVI. V. L. 19. Euripidis locum similem comparavit.

Salutaribus, ut spero, rebus tuis] Sit itaque *salutare* non modo quod salutem adfert, ac praebet, verum etiam quod in se habet, ac retinet. Certe sensus inest uterque in cognato adiectivo *salubre*, ut in Thes. L. L. Gesnerus ostendit: corpusque bene constitutum, firmaque valetudine *salubre* vocat praeter Livium, et Tacitum etiam Sallustius Iug. XVII. 6. Reciproca minus dura plerumque non sunt. Quum Graeci adiectivis in utramque partem usi fuerint, Latinorum imitatio non defuit: vide Fischer. ad Welleri Grammat. T. II. p. 49.

Quin etiam, quum in Bavar. invenerim *salubritatibus*, legi fortasse potest, *salubribus*, quod minus novum erit, ac singulare. Sed facillima est coniectura, *salvis*, quam fecit olim Ant. Augustinus. Recepit immo *salvis* Lamb. in ed. priore: at in secunda reiecit, ex quo constat, vulgatam in MStis Fabricii exstitisse. Unus fuit Ursinus, qui *salvis* in antiquo codice invenerit. Heumann. deinde vetustam editionem quamdam sic exhibere testatur, cuius locum, et annum tacere non debuit. Abramium vero sequitur suspicantem ex *salvis rebus* profectum esse *salutaribus*, deinde iterum *rebus* adiectum. Ego nescio, utrum magis suspecta sit emendatio, an codicum illa consensio. Verumtamen vix adducor, ut credam, repudiasse Ciceronem hoc loco aptam, et elegantem, et sponte occurrentem formulam, *salvis rebus*, de qua Pareus in Lex. crit. p. 1109. ut sine causa loqueretur inusitatius. Fortasse *salubribus* verum est, quasi medium quiddam, quo contenti esse possimus: sed ratio ipsa mendorum satis expedita non est.

Immutatis] Mendose in omnibus meis ante P. Manut. editis legitur, *immutatus*, quod per synthesin explicare conatus est Cruquius. Deest vero haec omnino vox in priore Ven. in cod. Barb. in meo, tribusque Britann. atque adeo in ipso Bavarico.

Desideres] Cruquius divinasse Tullium dicit: immo forte, quum orationem hanc multo post Milonis iudicium ediderit, haec inseruisse demum confecto bello civili, quo Pompeius Milonem, ut eius opera uteretur, ab exsilio revocavit. Testem huius revocationis Caesarem dat. Verum Caesar III. B. Civ. 21. 22. Milonem scribit ab exsilii, quem sibi Massiliae constituerat, in Italiam evocatum fuisse a M. Caelio Rufo, quem hoc anno Tribunum pl. amicissimum illius numerat Asconius, et ipse Cicero infra c. 35. res novas eo tempore sua sponte moliente: iactasse quidem Pompeii mandata Milonem, sed probasse nemini: deinde paullo post in Hirpinis periisse, ut etiam Velleius tradit II. 68. Haec

anno DCCV. quadriennio post hoc iudicium contigerunt. Iam vero constat ex Dione XL. 54. hanc scriptam orationem Miloni a Tullio missam fuisse Massiliam. Cicero autem in Ciliciam pro Consule anno DCCII. mense Maio profectus est: vide Manut. ad IV. Epist. 3. Itaque antequam illuc iret, orationem hanc, recenti iudicii memoria, editam ab eo fuisse crediderim: quum praesertim neque in provincia manenti, neque in ipsa belli civilis flamma reverso satis ei ad hanc scriptionem otii fuisse videatur.

Satis armati] Ut hic *versiculo armati Consules*, sic Livius IV. 53. *hoc decreto Consul armatus.* SCtum simile I. in Catil. 2. gladio comparatur, quum dicitur *in vagina reconditum.* Similiter pro Sext. 64. *sua lege, et suo beneficio armatum C. Caesarem:* et II. ad Attic. 22. *si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quum Tribunum plebis fieri passus esset.* Huius orationis initio, *temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare.*

In eius consiliis vindicandis, qui vi iudicia ipsa tolleret?] Manutius pro *iudicandis* emendabat recte *vindicandis:* sed nesciebat unius mendum Naugerianae se tollere, quum in aliis omnibus meis editis haec ipsa sit Manutiana lectio, quam Bavar. et Barberin. cum plerisque confirmat. Errat cum Naug. meus, et quatuor Britann. De hac permutatione agit Drak. ad Liv. XXIX. 47. Supra c. 7. *proinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur.* Ad consilium pertinet sequens *tolleret*, quasi dixerit, *sublatum iret:* quae nota ratio est, et abunde a criticis illustrata. Etiam ex Graecis nonnulla huiusmodi sunt apud Morum ad Isocratis panegyr. c. XXXI. p. 78. Ex optimo Colon. *vi* recepi pro *vel*, ut recte fecit Heum. locum adferens ex c. 8. post redit. in Sen. *sin ipsa iudicia vis impediret, ac tolleret.* Conferendum est illud, quod multis verbis agitur in Vatin. 14. Brevius I. in Catil. 7. *tu*

non solum ad negligendas leges, et quaestiones, verum etiam ad evertendas, perfringendasque valuisti.

Satis] Restituta huius vocis a Graevio repetitio in sec. Veneta exstabat ex Waldarf. opinor, ut solet, firmaturque ab optimo Bavar. a Barb. a meo, et a septem Britann. Quam quidem ineptam vocat Heumann. ac reiicit, sed immerito. Sic enim supra c. 8. *non fuit ea causa, iudices, profecto, non fuit:* V. in Verr. 45. *multi, et graves dolores inventi parentibus, et propinquis, multi:* et c. 69. *sed non licet me isto tanto bono, iudices, uti, non licet:* item pro Sulla 6. *suscepi causam, Torquate, suscepi:* et c. 16. *fero ego te, Torquate, iamdudum, fero:* denique de H. R. 18. *non ignovit, mihi crede, non:* cui loco simillimum reperi apud Demosthenem Philipp. IV. p. 103. ed. Francof. 147. Reisk. οὐ γὰρ ὑφ' αὑτῷ ποιήσασθαι τὴν πόλιν βούλεται Φίλιππος ἡμῶν, οὔ: *non enim subigere urbem nostram vult Philippus, non:* ἀλλ' ὅλως ἀνελεῖν, *sed funditus evertere.*

Absolvi a vobis oporteret] Referuntur haec ad tempus latae legis, eamque ferentis voluntatem, et consilium. Cave igitur, *oportet*, cum Heumanno, et *licet* emendes. Supra c. 6. *Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil gravius contra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando sequi oporteret:* non, *oporteat.* Atque illud *vos*, firmat hic *a vobis*, quod Lamb. adiecit ex Saxon. comprobavit Grut. ex duobus aliis optimis egoque in Bavar. esse video. In antecedentibus, *qui legem tulit*, pronomen ad Pompeium, cuius remotior est mentio, relatum non ita me, ut Ernestum, offendit. Similia tuebatur Wopkensius II. lect. Tull. 12. p. 192.

In illo loco, atque illis — circumfusus sedet] Recte *in illo loco*, ut pro Cluent. 53. *Quid est, Q. Naso, cur tu in isto loco sedeas?* Sed absurde, *atque in illis*, ante Lamb. a quo *in* eiectum fuit, Graevio, Heum. et Ernesto sequentibus. Auctores sunt co-

dices Fabric. Erfurt. Bavar. et plerique Britann. Quamquam etiam libris invitis delendum fuisse, recte iudicavit Ernestus. Error ex proxime posito *in illo* profluxit. Sic vero Cicero pluries, veluti III. de Finib. 2. *M. Catonem vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris.* Plinius etiam panegyr. XXIII. 3. *Neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc Senatus, nunc equestris ordinis flore*, etc. Hi, et alii huiusmodi loci addendi sunt Reitzianis de ambig. p. 97. ubi vide.

CAP. XXVII. *Neque vero me, iudices, Clodianum crimen movet*] Quinctil. IV. 5. p. 364. *Egregie vero Cicero pro Milone insidiatorem primo Clodium ostendit, tum addit ex abundanti* (cod. Barb. *ex abundantia*, quasi ἐκ περιουσίας), *etiamsi id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris, et gloria necari potuisse.* Cetera, quae in Graeviana, tamquam Fabius pergeret, excusa sunt, de suo Bersmannus adnotavit. Brutum autem hanc delegisse partem, quam Cicero extremam fecit, ut ea potissimum niteretur, quum exercitationis causa Milonem scripto defenderet, idem Fabius est auctor III. 7. p. 263. rationemque hanc comminiscitur, *eum statum esse faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere virium possit orator.* Ita oratoris partes in foro exercitati Cicero sumpserit, Brutus philosophi. Dissentit iusta certe de causa Cicero a Bruto: *quod*, ut ait Asconius, *non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset.* Tamen, quum hanc quoque partem sic adripuerit, ut a prioris subtilitate, atque artificio ad vehementiam, ubertatem, altitudinemque tam splendidam sese traduxerit, Asconius in extremo Argumento suspicionem Gesneri confirmare videtur, dubitari posse, utram haec Cicero disceptare in ipso iudicio sit ausus. Denique Sulpicius Victor p. 260. Rhet. Capp. haec habet: *Coniuncta causa est pro Milone: defenditur enim statibus duobus, relatione, quod merito Clodius di-*

catur occisus, quum fecisset insidias; compensatione, quod dicitur bono reip. occisus pessimus civis — — Compensatione, quam postea induxit, non infirmavit priorem statum (qua de re diximus ad c. 10.) *sed confirmavit, multoque reddidit fortiorem. Hoc enim ipso persuasit iudicibus, insidiatorem peremptum fuisse, quoniam etiam gloriosa Miloni possit esse illa defensio, si propter remp. fecisse videatur.*

Mentiri gloriose liceret] Aquila c. 8. parum fida memoria: *Quod si non possem diluere crimen, ut dilui, tamen gloriose haec praedicare Miloni liceret.* Abramius, et Ernestus optime loci sensum exposuerunt. Exemplum autem hinc sumunt non modo idem Aquila c. 18. sed etiam Quinctilianus IX. 3. p. 807. et Marcianus Capella p. 428. Capp. aliisque locis denuo Fabius, ut videbimus.

Iacturisque rei familiaris] Quinctil. V. 11. p. 439. *iacturaque*, quod ex optimis illius MStis emendavit tandem Spaldingius: male Capella l. c. *quod annonae levandae iacturis:* recte cum omnibus Tullii libris consentit Aquila c. 18. Multi etiam Fabii codices pro *putabatur* habent *videbatur*, alii haud pauci, *regni adfectandi:* cod. autem illius Barb. et *videbatur* habet, et cum Camp. *regni adfectati:* vide Heusing. ad similem locum II. Philipp. 44. *Spurii Cassius, Maelius, M. Manlius propter suspicionem regni adpetendi sunt necati.* Neque aliter de senect. 16. *C. Servilius Ahala Sp. Maelium regnum adpetentem interemit:* et pro domo 38. *Sp. Maelii regnum adpetentis domus est complanata.* Scio equidem Livium I. 46. dicere, *neque ea res Tarquinio spem adfectandi regni minuit,* aliaque novi similia, quibus nonnulli permoti idem istud hoc loco malunt. Vide Gebhardum l. Crepund. 4. Sed infirmam lectionem, eamque haud certe meliorem repudio.

Abrogavit] Bavar. *abrogabat*, ut Lamb. dedit e Fabricianis. Sed Octavio Gracchus Tribunatum pl. uti-

que *abrogavit:* ut, si quid sit iis libris optimis tribuendum, *abrogarat* legere oporteat. At ortum id suspicor ex mendo Erfurt. *abrogabit.*

Nefandum adulterium] Bavar. cum aliis optimis, item codices C. Steph. Barb. octo Britann. et meus, et prior Ven. *nefandum* hoc loco, et *nefarium* inferiore tuentur, ut Lamb. Grut. Graev. et recentiores ediderunt. Apud Quinctil. c. p. 439. libri quidem plurimi habent hoc priore ipso loco *nefarium*, ut olim vulgo edebatur in Tullio: sed cod. Fabii Barb. aliique a Burm. et Spald. laudati, *nefandum*, quomodo utroque loco Iulius Severianus p. 342. Capp. Ego vero facilius paterer *nefandum* utrobique legi, quam *nefarium*, quippe qui paullo gravius illud esse, quam hoc, existimem. Sed eadem ista, si minus alibi, hic certe spectanda differentia nostram lectionem comprobat. Nam ex duobus, quae commemorantur, Clodianis incestis maius, et gravius hoc est, quum Clodius *ea sacra*, ut c. 5. de H. R. dicitur, *quae viri oculis, ne imprudentis quidem, adspici fas est, — flagitio, stuproque violavit:* gravius, inquam, propter pollutam religionem, quae ipsum adulterio incesti nomen adiunxit, et propter insolentiam facinoris, ac novitatem; de qua Cicero ibid. c. 3. *etenim illos* (deos) *eo scelere violavit, quo nemo antea.* Proprie hoc omnino *nefandum adulterium* dicitur, alterum autem *nefarium stuprum.* Quinctilian. VIII. 3. p. 697. *nec parricidam nequam dixeris hominem, nec deditum forte meretrici nefarium: quod alterum parum, alterum nimium est.* Sed ne stupra quidem legibus vetita *nefaria* Cicero adpellare solebat, nisi crimen aliquod vulgaribus flagitiis gravius inesset. Satis in hanc rem ea sunt, quae in Sassiam pro Cluentio dicuntur c. 5. *repente est exorta mulieris importunae nefaria libido — generi sui contra, quam fas erat, amore capta — — Filia, quae nefarium matris pellicatum ferre non posset,* etc. tum c. 66. *mitto nefarias generi nuptias: mitto cupidi-*

tate matris expulsam ex matrimonio filiam. Alio in genere, sed in eumdem Clodium, et in simili facinorum illius enumeratione hoc eodem modo, nec sine causa, variatur de H. R. c. 20. Primum enim dicitur, *exercitu L. Luculli sollicitato per nefandum scelus,* quod crimen maiestatis est maximum; et paullo post, *nefarias cum multis scelerum pactiones, societatesque conflavit,* quae facinora fuerunt provincialia, quum esset in Gallia Clodius apud Praetorem. Denique iudicium nostrum egregie comprobat alius ille de Clodio locus in Pison. 4. *ab eodem homine in stupris inauditis* (quum sacra Bonae deae adulterio violavit) *nefariisque* (sororis germanae) *versato.* Apud Fabium *suo* post *periculo* male omittitur.

Comprehenderunt] Lege, inquit Heum. *deprehenderunt.* Apud rhetorem Severianum p. 439. legitur, *in pulvinaribus sanctissimae feminae comprehenderunt.* Corruptus locus vulgatam tamen in verbo confirmat; quamquam subsidio non eget, quum optima sit, et in omnibus libris inventa. Hic enim est locus iis addendus, quibus Tullium *comprehendere* adhibuisse pro *deprehendere* docuit Ernestus in Indice p. 401. Fecit vero postea Forcellinus, quum hanc significationem in Fabri, et Gesneri thesauris, et in subplementis Menckenianis omissam protulit, ac notavit.

Conservatorem iudicarant] Vulgo, *iudicabant.* Lectionem verissimam retuli, quam ex suis MStis probavit Lamb. et multo postea Heum. qui locum simillimum adtulit in Pison. 10. *quum civis is, quem hic ordo, adsentiente Italia, cunctisque gentibus, conservatorem patriae iudicarat, servitio, atque armis pelleretur.* Alium addam ex c. 27. de H. R. *qui primum eum civem vi, ferro,* etc. *depulit, quem vos patriae conservatorem saepissime iudicaveratis.* Ernestus quoque recepit.

Memoriam publicam recensionis] Inveni *memoriam publicae recensionis* in editionibus Naug. Camer.

P. Man. Gryph. et Car. Steph. qui de suo codice silet. Ea certe lectio et optima est, et planissima, contra quam frustra pugnant Fabricius, et Schottus uno illo Caelianae loco, in quem nulla cadit tautologiae suspicio, quum ibi *memoriam publicam* nulla tabularum publicarum mentio subsequatur. Eam vero probarunt Lamb. Gesner. et Ernestus. Sed prudenter fecit Lamb. quum Saxonici cod. auctoritati cessit, quae aucta deinde per Coloniensem, aliosque optimos, et multos fuit, quibus addo nunc Bavaricum, meosque reliquos, omnesque Britann. ut iam *publicam* et verius, et tutius legi fatendum sit. Neque, ut hoc probem, ad hypallagen confugio: est enim ad ornatum, non ad vitium, quod hic inesse putant, ea figura comparata. Sed primum locutio huic gemina III. de legibus 20. sic posita exstat, ut nulla de hypallage suspicio concurrat. *Legum custodiam nullam habemus: itaque hae leges sunt, quas adparitores nostri volunt: a librariis petimus: publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus.* Deinde idem hic locus alteri explicando tam utilis est, ut tautologia iam metuenda non videatur. Nam *memoria publica tabulis*, vel *litteris publicis impressa*, vel *consignata* est actorum publicorum, cuiusmodi leges sunt, et *populi Romani census* (sic enim *recensio* explicatur pro Cael. 32.) memoria, quae non privatis magistratu functorum aut potius scribarum, sive librariorum litteris, tabulisque continetur, sed auctoritate publica comprobatis, et in aede publica, qualis Nympharum fuit, depositis, atque servatis. Absolute dixit *memoriam publicam*, ut etiam II. de orat. 12. *memoriae publicae retinendae causa:* altero autem loco subauditur, *legum*, hoc *recensionis* exprimitur. Ita duo coniunguntur, quae seiuncta legimus in Caeliana, *qui censum populi Romani*, *qui memoriam publicam suis manibus incendit.* De hoc v. *memoriae* sensu, quem perspexit Heumannus, non cogitavit Ernestus. Adde, quod in Bruto c. 3. de quodam

Attici libro dicitur, *quo iste omnem rerum memoriam complexus est.* Omnino *publicae* ab emendatore aliquo non indocto videtur fuisse.

Iniustis vindiciis, ac sacramentis] Sacramentum iustum, aut iniustum dicitur, prout in re, causaque iusta, aut iniusta interponitur. Vide indicem Ernesti p. 721. Sic etiam vindiciae iuste, aut iniuste postulantur. De *sacramento*, ut hic accipitur, locus est celeberrimus Varronis IV. de L. L. ad fin. quo tamen abusus est Abramius ad explicandum Tullianum illum I. de Orat. 10. quasi utrum in eam rem sacramentum caderet, ageretur, non utrum obtineri sacramento ea res posset, et pecunia servari, quam deponere oportuisset, iudicio vindiciarum accepto.

Sed nunc P. Varium, virum fortissimum] Varii praenomen Q. protulit Grut. retinuerunt Graev. Heum. et Ernestus. Sed, quum in uno tantum, atque altero codice inventum videam, retuli P. quod ipsa depravatio confirmat: neque enim *Pompeium*, quod nomen libros plerosque occupavit, aliunde verisimile est exstitisse. Sic autem diserte Hittorp. et Werdensis. Nam Erfurt. et Bavar. *sed hunc C. P. Varium, fortissimum, atque optimum civem:* atque adeo Fabriciani quoque, dum *Varium* exhibent, *virum* excludunt: duo nempe vocabula et proxima, et similia saepe sese vicissim eiiciunt. Ac profecto cives his epithetis ornantur pro domo 31. *homines seditiosissimi de optimis, ac fortissimis tulerunt,* etc. ubi de privilegiis inrogatis agitur: pro Rabir. perd. c. 1. *est etiam bonorum, et fortium civium intercludere omnes seditionum vias:* et XIV. Philipp. 13. de militibus, qui pro libertate occubuerant, *gloriae munus optimis, et fortissimis civibus monumenti honore persolvitur.* Sed, quum hi loci causas habeant, quas huc transferre non licet, et *virum* exhibeant ante Lamb. editi, omnes Britann. Barb. Palatini, et meus, et in aliquibus etiam optimis exstitisse id videatur, quoniam Grut. et Graev. retinuerunt, non

vit. Statim Rom. ambae Ven. et Ald. cum Barb. septem Brit. et meo, *domino:* Venetae cum tribus Brit. *spectante.*

Cui viro, dii immortales?] Ita quidem saepe, ut notavit Heumannus; sed simillime pro Rab. perd. 7. *quum equester ordo, at quorum equitum, dii immortales?* et in Bruto c. 17. *at quem virum, dii boni?* De hoc autem T. Furfanio videndus est Isaacus Valckenar. ad III. epist. Cic. select. 46. n. 1.

Quid ego — Scantia — Aponio dicam?] Additum ex Colon. et Erfurt. *ego* confirmatur a Bavarico. In eodem, duobusque Brit. est *Scantia*; quod nomen in ed. priore Lamb. invexit. Ea gens in antiquis titulis frequens: nomen silvae Scantiae in Campania dedisse videtur, et *aquis Scantiis* ibidem. *Aponius* a Fabricianis est, et a duobus item Britann. in id conspirant alii duo, et Pith. dum habent, *Apono*, quibus adcedit meus, Rom. et alius Brit. etiam propius *Aporio.* Novum est in Bavar. *Apinio*, et apud Schott. III. nod. Cic. 13. *Sentia.*

Sed ausus est] Barbadorius in Gryphianae margine notavit, *sed ausum esse*, quod huic orationis conformationi non convenit. Sic tamen vidi editum in Rom. altera Ven. et Aldinis avi, et nepotis: ita etiam scriptum in cod. C. Steph. in Barb. in tribus Britann. et in ipso Bavarico. Esset anacoluthon ad vehementiam quaesitum, quod aliquibus placere potest.

Fidissima gratia] Anceps lectio est propter commutationem, quam in uxorum laudibus c. 22. pro Sext. observavimus. Nam hic quoque alii multi, *fidelissima.* Optimos ego sequor cum Lamb. Grut. Graev. et Ernesto, Saxon. scilicet, Erfurt. Pith. et Bavar. quibus adstipulantur Barb. septem Brit. et meus, item prior Ven. et Naug. atque hoc praeferebat etiam Barbadorius. Ex contrario Plinius I. Epist. 5. 15. *gratia malorum tam infida est, quam ipsi.*

toleratus, quamquam repertus in tribus Britann. videatur, cui adfinis est *Patavio* in alio Brit. Emendatores etiam nonnulli praeclare se fecisse putarunt, quum *T. Pacuvio* de coniectura dederunt.

Ut insulam in lacu Prelio venderet] Lamb. *ut sibi insulam*, et ita de Clodio ipso pro domo 44. *a Q. Seio contendit, ut sibi domum venderet.* Sed etiam III. de offic. 14. *incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut* (hortos) *venderet.* Libri autem meliores, in his Bavar. *in lacu Perelio.* Cluverius Ital. ant. p. 474. *Prelio* recte legendum statuit, eumque secuti sunt Cellarius T. I. G. A. p. 575. Wesselingius ad Itiner. vet. p. 292. Graev. et Ernestus. Heumann. tamen temere coniecit, *in lacu Praetio*, quia *Pretio* legitur in deterioribus, quomodo etiam Britannici. Tandem in meo codice diserte *Prelio* scriptum conspicio.

Atque arma convexit] Erfurt. et Bavar. omittunt *atque*. Hi mihi haud satis auctoritatis habere visi sunt adversus Saxon. Colon. aliosque tam multos, qui retinent. Heum. et Ernest. retinuerunt. Olivetus ex Lamb. priore, *atque arenam* adscivit. Oxonienses ex novem codicibus unum tantummodo dissentire adnotant, et nobiscum facere. Facilis post *calcem*, et *caementa* emendatio fuit, *arenam:* contra non facile, *arma* substituere. Arma vero per vim aedificanti erant necessaria, ne a domini familia aedificatio disturbaretur: simul eorum commemoratio facere sola potuit, ut *vim armatam* intelligeremus, qualem oportuit, ut supra, *castris, exercitu*, etc. et deinde, *armis, castrisque.* At *arenam* ceteris ad aedificandum comparatis rebus addere nihil attinebat: quum praesertim vulgo notum esset, calcem sine arena in eiusmodi structuris adhiberi non solere. Vitruvius II. 4. *In caementiciis autem structuris primum est de arena quaerendum, ut ea sit idonea ad materiem miscendam, neque habeat terram commixtam.* Hic *materia* est lignum praecipue ad aedificia, ut recte Ulpianus XXXII. Pand. 55. defini-

vit. Statim Rom. ambae Ven. et Ald. cum Barb. septem Brit. et meo, *domino:* Venetae cum tribus Brit. *spectante.*

Cui viro, dii immortales?] Ita quidem saepe, ut notavit Heumannus; sed simillime pro Rab. perd. 7. *quum equester ordo, at quorum equitum, dii immortales?* et in Bruto c. 17. *at quem virum, dii boni?* De hoc autem T. Furfanio videndus est Isaacus Valckenar. ad III. epist. Cic. select. 46. n. 1.

Quid ego — Scantia — Aponio dicam?] Additum ex Colon. et Erfurt. *ego* confirmatur a Bavarico. In eodem, duobusque Brit. est *Scantia*; quod nomen in ed. priore Lamb. invexit. Ea gens in antiquis titulis frequens: nomen silvae Scantiae in Campania dedisse videtur, et *aquis Scantiis* ibidem. *Aponius* a Fabricianis est, et a duobus item Britann. in id conspirant alii duo, et Pith. dum habent, *Apono*, quibus adcedit meus, Rom. et alius Brit. etiam propius *Aporio*. Novum est in Bavar. *Apinio*, et apud Schott. III. nod. Cic. 13. *Sentia*.

Sed ausus est] Barbadorius in Gryphianae margine notavit, *sed ausum esse*, quod huic orationis conformationi non convenit. Sic tamen vidi editum in Rom. altera Ven. et Aldinis avi, et nepotis: ita etiam scriptum in cod. C. Steph. in Barb. in tribus Britann. et in ipso Bavarico. Esset anacoluthon ad vehementiam quaesitum, quod aliquibus placere potest.

Fidissima gratia] Anceps lectio est propter commutationem, quam in uxorum laudibus c. 22. pro Sext. observavimus. Nam hic quoque alii multi, *fidelissima*. Optimos ego sequor cum Lamb. Grut. Graev. et Ernesto, Saxon. scilicet, Erfurt. Pith. et Bavar. quibus adstipulantur Barb. septem Brit. et meus, item prior Ven. et Naug. atque hoc praeferebat etiam Barbadorius. Ex contrario Plinius I. Epist. 5. 16. *gratia malorum tam infida est, quam ipsi.*

Sororis] De tribus P. Clodii sororibus consulendus est Perizonius Animadv. histor. cap. III. p. 109. Abramius vero recte suspicatus est, hanc, qua de agitur, Clodiam fuisse Q. Metelli Celeris uxorem. Nam id ex Caeliana probatur, cap. 7. 8. 15. 16. Erant P. Clodii, et Q. Metelli domus in Palatio contiguae; Caelius *in P. Clodii aediculis* habitabat; ea vicinitas Clodiae, *quam Palatinam Medeam* Cicero adpellat, erga Caelium amores excitavit, ex quibus discidium, simultas, et adcusatio denique exorta est.

Sed omni aditu, et limine] Infirma lectio erat *lumine* in priore Ven. Ald. P. Man. Gryph. et repet. Lamb. Recte *limine* in ed. Rom. sec. Ven. Naug. Camer. C. Steph. et Lamb. qui unus *privaret* ex MStis Fabricii in fine periodi collocavit. Hos Aldus nepos secutus est, deinde Grut. et omnes. Victorius XX. V. L. 18. ex MStis suis idem praetulit, ex Saxon. alioque Fabricius, ex Erfurt. Zinzerlingius ad Valer. Flacc. IV. 24. cui suos reliquos Grut. adiunxit, ego nunc Bavar. Barb. sex Britann. et meum. *Limen* est domus ipsius, *vestibulum* ante domum, et limen, ut ex Gellio XVI. 5. notum est. *Omni aditu* explicatur ex eo, quem adferunt, loco pro Caec. 12. *si non modo limine, tectoque aedium tuarum sed primo aditu, vestibuloque prohibuerint.* Similiter II. in Verr. 66. *in primo aditu, vestibuloque templi,* et *vestibulum, aditusque* iunguntur etiam II. de Orat. 79. et in Orat. c. 15. Nam vestibulum est primus aditus, locus nempe, ut apud Gellium Aelius Gallus ait, *per quem a via aditus, adcessusque ad aedis est.* Victor. tamquam vulgatum habet, *sed etiam lumine*, nescio unde, neque aliud intulit, nisi *limine.*

Cap. XXVIII. *Etsi aequabiliter*] Barbador. adscripsit, *et sic,* Heumann. deleto *sed,* locum ita constituit: *Quamquam — videbantur. Etsi aequabiliter — irruebat, nescio quomodo,* etc. Sed nihil necesse est a MStis discedere. *Quamquam* refertur ad superiora,

quae sic urgentur hac tota periodo, ut vis detrahi per correctionem iis videatur; gradum autem facit ad sequentia. Eadem conformatio XI. Philipp. 5. *Ferremus, etsi tolerabile non erat: sed quidvis patiendum fuit, ut hoç taeterrimum bellum non haberemus.* Neque dissimiliter de Lysia in Bruto c. 16. neque alia quoque Cicero exempla non praebet. Parum ab hac mea differt Heusingeriana huius loci defensio ad II. Philipp. 4. Fabriciani codices, et meus, et Barb. omnesque Britann. item Rom. ambae Ven. Ald. et Herv. habent *aequaliter*, quod in Manut. 1565. a Fabricio conspectum puto: nam certe tum Paullus anno 1541. tum eius filius postea, *aequabiliter*. Vide Graev. et Oudend. ad Sueton. Claud. XVI. Perpetua commutatio est: neque sane multum videatur, utrum praeferas, interesse. Lamb. quum antea dedisset *aequaliter*, in ed. altera Naug. Man. et C. Steph. lectionem retulit *aequabiliter*, ut Fabricii codices contra morem contempserit, nisi forte conversa per errorem Fabriciana lectio est apud Graev. Certe ita exhibent alii optimi, Erfurt. Pith. Bavar. quos ego sequor, et si reiici *aequabiliter* ab Ernesto video, tamquam alienum ab huius loci sententia. Nam esse arbitror huic adverbio locum, ubi disparia generibus pari, atque una in conditione ponuntur, idque non uno facto, sed multis, et crebris, et variis: quod animadvertendum est maxime, ut quid ab hoc loco alii differant, intelligatur; veluti Livianus ille IX. 14. *caedunt pariter resistentes, fusosque, inermes, atque armatos, servos, liberos, puberes, inpuberes, homines, iumentaque.* De his adverbiis egit etiam Schwarzius ad Mamertin. T. I. Paneg. veter. Iaegeri p. 157.

Imperium ille si nactus esset] Ordinem sumpsi a cod. Saxon. a Memmianis, et Bavarico, quem probavit etiam Heumannus, etsi cum libris deterioribus, et Lamb. male hoc adiungit antecedentibus, *aut ferre, imperium ille s. n. esset? Omitto* etc. Veteres editi

depravatius, *aut ferre imperium, si id ille n. esset?* In Colon. est, *si ille.*

Vota enim faceretis] Mendum erat, *feceratis*, quod Lamb. reliquit imprudens, correxit ex suis MStis Modius, ex Saxon. Fabricius, quibus Bav. et duo Brit. adcedunt: nam Colon. est in Modianis.

Inmitteret] Restituendum hoc censui cum Heum. quod optimi habent codices Saxon. Memm. Modiani, et Erfurt. Quid est enim, *ut in eos se potius mitteret?* satin' Tullianum? *inmitteret se*, ut modo *inruebat*, immo de H. R. c. 11. *vis servorum in scaenam inmissa inrupit*, et ipsum Clodium I. ad Att. 11. *tertium esse a iudicibus in remp. inmissum*. Heum. adtulit I. in Cat. 11. *abs te non emissus ex urbe, sed inmissus in urbem esse videatur*. Adde pro Sext. 36. *gladiatores tu novitios — cum sicariis e carcere emissis ante lucem inmittas?* Parad. I. 2. *quae res patrem Decium, quae filium — inmisit in armatas hostium copias?* Sed passim similia.

Quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias: pecunias dico? a liberis] Lamb. Mod. et Heum. *quam in vestras possessiones) a vestris tectis, vestris pecuniis, vestra tecta, vestras pecunias dico? a liberis mediusfidius*, etc. Lectio haec est certe planissima, quae vulgari cuivis grammatico satisfacere adprime possit. Nisi forte cavillari lubeat, quasi libidines effrenatae in tecta, et pecunias inmitterentur. Sed Gruteriana ab omnium optimo cod. Colon. profecta, quam cum Graev. Lallem. et Ernesto sequor, multo est melior, et nobilior, stiloque Tulliano dignior. Eam Lallem. unius Regii cod. subfragio munivit, qui ne una quidem litterula aberrat a Coloniensi. Saxon. et Bavar. eadem vestigia continent verae lectionis, quae cod. meus, et Barb. et Memm. et ante Naug. editi: nisi quod, quum in his sit, *vestra tecta, vestras pecunias dico? a liberis mediusf.* etc. illi transponunt, *v. pecunias, v. tecta dico?* Omissae igitur verborum tantummodo ite-

rationes, *pecunias*, et *a liberis*, quod erat facillimum, evenitque saepissime. Naugerius deinde protulit, *a liberis dico, a liberis med.* eamque lectionem nactus Victorius persanavit primus omnino locum XX. var. lect 18. addens *pecunias*, et *dico* illuc retrahens, quod scriptorum librorum auxilio se facere profitetur. Quid iam de Lambino dicam? qui a primo Victorium secutus est; quamquam iteravit *pecunias*, non autem *a liberis*; sed deinde, optima Victorii restitutione damnata, locum deteriorem adiectione illa fecit, quam neque ipse, neque Modius, neque alius quisquam ullo in codice invenit. Grut. quoque laborasse tantum ait Victorium, quasi aliter, atque ipse in Colon. reperit, restituerit.

Et a coniugibus] Grut. *et coniugibus*, ut cod. Barb. et Gryph. Rom. *etiam a coniugibus*, Lamb. in ed. pr. *et coniugibus*, in altera cum optimis MStis, ne ipso quidem fortasse Colon. excepto, cum omnibus Britann. et meo, cum ceteris editis, quos habeo, Graevianam hanc dedit, quam cum Lallem. et Ernesto admittendam putavi.

Quae nota sunt omnibus] Ante Lamb. deerat *sunt*, neque adest in Pith. in Barb. meoque cod. Additum ex Saxon. firmant Erfurt. Colon. Bavar. et duo Britann. quorum etiam unus, *haec*, *quae*, ut ex solo Colon. Grut. Graev. Ernest. Reieci *haec* cum Heumanno, quia in hoc incitato sermone omitti commode potuit, ut tertio loco factum videmus. Similis locus I. in Catil. 1. *patere tua consilia non sentis? constrictam iam horum omnium conscientia coniurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, quem nostrum ignorare arbitraris?* III. in Verr. 65. *tenetur igitur iam, iudices, et manifesto tenetur avaritia, cupiditas hominis* etc. V. ibid. 38. *res erat clara, neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius avaritia tenebatur:* pro Sulla 25. de Autronio, *huius si causa non manifestissimis rebus teneretur*, etc. Hic omnia summa cum vi, ac brevitate iungun-

tur, quae varie in adlatis locis expressa vidimus. Nam res manifestas continet verbum *patent*, conscientiam omnium, et testimonium ea significant, *quae nota sunt omnibus*, convicta sunt probationibus, *quae tenentur.*

Per me ut unum ius,] Hunc habet ordinem cum Coloniensi Bavaricus, quem retinuit Ernestus, neque mutare sum ausus, etsi speciem habet quamdam ambiguitatis, dum *unum* ad *me* pertinens prope *ius* admovet. Codices Lamb. Fabric. Werd. Palatini, meus, et Barb. et sex Britann. cum priore Ven. *per me unum ut ius*, qui ordo probabilior facile videatur. Utroque modo synchysis est plane Tulliana. Quod caput est, omnes hi libri glossemate carent, quod olim ex deterioribus invaluerat, *per me unum effectum est*, *ut ius* etc. quod referre non dubitavit Heumannus, quasi sensus id postulet. Non postulare autem apertum omnino est.

Esset vero timendum, quonam modo id ferret civitas] Cum aliis optimis ita Bavar. et quatuor Britann. Alii, *enimvero timendum*. Etiam *id factum* habent veteres editi, et MSti non optimi.

Non queo, vetera illa P. R. gaudia quanta fuerint, iudicare] Bavarico parendum censui. Eumdem ordinem habet prior Veneta, et Lamb. ex suis. *Non queo* est etiam in duobus Fabric. in uno Memm. atque, ut opinor, in aliis praestantibus haud diligentissime conlatis. Neque id proprium est poetarum, ut nonnulli putant. Cicero ipse id usurpavit, atque adeo, ut hic, initio periodi III. ad Att. 12. XIV. ad divers. 1. Varietas autem eadem III. de offic. 15. ubi *non quiret* dedit ille ex Enniano, *non quit*. Vulgati, *nequeo vetera illa P. R. quanta fuerint gaudia*, *iudicare*.

Multa — in rep. bona esse visuros] Werdensis, et Bavar. repetunt *multa* ante *bona*, idque Gulielmio placebat. Egi de huiusmodi repetitionibus ad c. 26. Exempla, quae adtuli, sedem illam repetiti vocabuli plane repudiant.

Nihil eorum] Aldus senior, *nihil horum vos visuros fore*, et ita legerunt Pareus in Lex. crit. p. 496. et Gifanius in observ. ed. Oth. p. 199. Lamb. pro *horum* primus dedit *eorum:* cuius MStis adcessere Gruteriani, Graeviani, Bavar. et quatuor Britann. Quod consequens erat, *in iis singulis*, dedi pro *his:* vide ad c. 7. pro Cluent. Quae porro inter, *vivo P. Clodio*, et eadem repetita, *P. Clodio vivo*, intersunt, omissa sunt omnia, ut saepe fit, in MStis C. Steph. Barb. quatuor Brit. et meo, editisque ante Aldum, quos habeo.

Hoc ipso — compressa] Bavar. utrumque confirmat, tam *ipso*, quod primus Lamb. adiecit, unusque postea inscite reiecit Heum. quam *compressa hominum licentia*, ut cum Saxonico duo Grut. optimi exhibent longe melius, quam in vulgatis, *concussa*. Exstat *ipso* etiam in quatuor Brit. *compressa* in omnibus, ut silentio quidem significatur, idque Barbador. quoque ab se repertum adnotavit.

Cap. XXIX. *Libentius haec in illum evomere*] Bavar. scribit, *lubentius*. Egregiam lectionem contaminare conati sunt Heum. et Ernest. coniiciendo *licentius*. Fatetur Cicero se libenter in Clodium invehi, sed ita, ut omnes intelligant, nihil se odii causa confingere, nihil amplificare. Voluntatis confessionem res ipsa exprimebat, licentiae nescio quae vis extorquere potuerit. Quid porro esset, *licentius*, quam *verius?* pro Fonteio c. 11. *si quantam aut voluntatem habent ad hunc obprimendum, aut ad maledicendum licentiam, tantum haberent aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenii*, etc.

Odium meum] Vocem *odium* elegantius afuturam censet Ernestus. Ita fieret, *ut in communi odio paene aequaliter versaretur meum.* Sed, si te ad initium referas, *etenim, etsi praecipuum esse debebat*, senties, *odium* inde abstractum in fine adesse oportere. Elegantia vero ex tota conformatione, non ex particula,

spectari debet. Denique talium repetitionum vetus apud criticos defensio est, qua adversus eumdem ipsum summum virum Schellerus utebatur Observ. p. 54.

Sic intuentur, ut ea cernamus, quae non videmus] Vulgatae redundantia me semper offendit, *sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus.* Nonne satis erat, *ut quae videmus?* Offendit etiam Ernestum, scriptumque a Tullio putavit, *ut ea, quae oculis videmus.* Sed huic incommodo remedium iampridem Gulielmius paraverat, qui ex Colon. protulit, et probavit hanc, qua nemo uti voluit, lectionem, optimo ex codice optimam, quam ego recipere non dubitavi. Similiter IX. Epist. 8. *puto fore, ut, quum legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, quod numquam locuti sumus. Sed nosti morem dialogorum.* Res est non argute magis, quam dilucide, significata. Nequit enim ex antecedentibus non intelligi statim mentis, oculorumque distinctio, quam similibus aliis locis admovere propius oportuit: veluti pro Balbo 20. de C. Mario: *exsistat ergo ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis:* ubi, quae argutia hic est egregia, eadem fuisset inepta. Saepe vero ita locutus est Cicero: III. de Orat. 40. *quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere, et videre non possumus:* IV. Epist. 8. *quem ego tam video animo, quam ea, quae oculis cernimus:* X. 19. *sic enim vidi, quasi, ea, quae oculis cernuntur, me a te amari:* et apud Quinctilian. I. O. IX. 2. p. 779. *haec, quae non vidistis oculis, animis cernere potestis.* Sed, quoniam hic *oculis* non adiicitur, singularem locum singulari ex codice constituendum censui, qui tamen instar est plurimorum.

Sed ita, si] Hic locus, et alter pro Mur. 40. non modo Tullianis quinque similibus a Tursellino conlectis addendi sunt, verum etiam ingenti talium acervo, quem

dedit ex Tullio, et Livio Menckenius in observ. L. L. p. 543.

Vivus adficeret, quos mortuus] P. Manut. emendavit *adficeret*, quod Lamb. et Gruteri silentio comprobatur, repertumque videtur in Erfurt. quum Graev. ex uno Pith. adferat, *adfecerat*, quod tamen habent etiam Bavar. Barb. septem Britann. et meus, item ed. Rom. ceteraeque ante Manut. quas inspeximus. Tempus praeteritum spectat, et referri ad superiora illa potest, *communis erat omnium ille hostis — non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit.* Cod. C. Steph. solus, *adfecerit*, a quo, et a Bavar. Graevianum *quos* confirmatur, ab Heum. et Ernesto recte revocatum, quum alii *qui* ex libris plerisque praetulerint. Erfurt. *perculsit*, quod non accipio: vide ad IV. in Verr. 34.

Qui ea virtute, ac fortuna est] In Pompeii laudibus, quae maximae, plurimaeque cumulantur pro Balbo 4. haec exstat: *in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit, ut omnium iudicio plus homini, quam deae, tribueretur.* Et pro Archia 10. *noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit.* Hos locos Heumann. adtulit, neque tamen penitus a lectione ante Lamb. pervulgata abhorrebat, *ea virtute, ac sapientia.* Erat tamen vera haec lectio in priore Ven. Naug. Man. C. Steph. Firmatur a Saxon. Erfurt. duobus aliis Grut. optimis, et a Bavarico. Adstipulantur octo Britannici, Barberinus, et meus.

Ut quaestionem — sic ipsum] Res disiunctissimae obtinendi modo iunguntur, ut quod erat *ἀδύνατον*, ad efficiendi facultatem certissimam per *ὑπόθεσιν* redigatur. Docet hoc manifeste conclusio: *de eius nece lata quaestio est, qui, si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset:* ubi *eadem lex* actum modumque significat, ut eamdem commutato argumento lationem intelligas. Constat enim ex c. 19. et 20. pro domo, duas res non licuisse una lege complecti. Atque

significatio haec eo minus habet dubitationis, quod etiam quae paria sunt, *eadem* aliquando esse dicuntur, ut pro Mur. c. 9. etc. Iam ergo, ut haec propius accedant ad conclusionis rationem, restituenda cum Heum. et Ernesto fuit antiqua lectio, quam sustulit Graevius: *si* Cn. Pompeius, *ut* potuit *quaestionem de morte P. Clodii ferre, sic*, eodem modo, nempe per legem, *potuisset ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse?* utra potius de re legem fuisse laturum? Ex his patet id, quod Heum. et Ern. non docuerunt, absurdam esse disiunctionem illam, quamvis a MStis optimis profectam, *aut quaestionem — aut ipsum* etc. quam servat ipse Bavar. Sed in Erfurt. mendose quidem legitur, *aut — sic:* verum fons ostenditur, et caput permutationis, de qua Drak. ad Liv. IV. 12. Ex *ut* ortum est *aut*, idque postea pro *sic* quoque subpositum, ne particulae dissiderent. Quae ratio converti non potest, ut Graev. existimabat: neque enim ubi *aut* antecedit, quisquam *sic* introduxerit. In uno Britann. est, *ut — sic*, in meo pro varietate antiqua manus adscripsit.

Potius] Quum in MStis Pithoei, Barb. septem Brit. et meo, ut in Rom. et utraque Ven. omnia desint, quae inter bis positum *ab inferis* media sunt, habent utique vocem *potius* Bavar. duo reliqui ex Britann. Aldus maior, Hervag. et Nauger. locum integrum exhibentes, quam omissam a P. Manutio revocavit Lamb. firmavitque Gruterus: ut vix ab uno aliquo codice praetermissam liceat hactenus existimare. Necessaria illa quidem non est, qua de causa eiecit illam Heumannus: adde, quae de particula *utrum* Schellerus post alios notavit ad Nepotis Eumenem VI. 1. Observ. p. 311. Verumtamen, quum neque sententiae repugnet, ut vidimus, neque parum a libris habeat firmitatis, cum Ernesto retinui.

Vellet] Ernestus de coniectura edidit, *voluisset.* Sic solebat: tamen II. Philipp. 2. *cupisset* non rece-

pit, sed adnotavit, ubi similiter, *nec, si cuperes, licuisset.* Loci sunt huiusmodi innumerabiles, quos iamdudum satis multos vindicavimus, etiam supra ad c. 17. Hunc vero ipsum nominatim defendit Heusingerus ad III. de offic. 19.

Ab inferis evocare] Tam *revocare*, quod habet prior Ven. et Aldus cum sequentibus usque ad Lamb. unoque Britann. quam *avocare*, quod in MStis etiam optimis legitur Lambini, Graevii, et Bavar. cum Car. Steph. quatuor Brit. et meo, profectum videtur ex *evocare*, quod cum Saxon. servarunt reliqui Britann. ed. Rom. et sec. Veneta, ut pro Sext. 62. *quum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos.* Hoc propius est antecedenti *excitare*, et magicum habet quiddam, quum *evocari manes* iis artibus dicerentur. Neque tamen damnandum est *revocare*, quod Grut. Heum. et Ernest. retinuerunt. Alibi etiam, *devocare.*

Nolitis] Erfurt. *nolletis*, quod male Graev. recepit. Recte tamen Isidorus II. Origin. 9. *cuius vitam si putaretis per vos restitui posse, nolletis.* Sed ab explicante istud fuit ex usu vulgari, ac plebeio: non, ut opinor, ab ipso Isidoro, cuius ambo codices Barb. *putetis* exhibent, atque *nolitis* cum reliquis omnibus Tullii libris, itemque omnibus Quinctiliani V. 14. p. 479. Cassiodorus autem p. 873. Rhet. Capp. pessime habitus, apud quem *possetis*, et *nolletis.* Heum. et Ernest. recte iudicarunt, quum Lallem. parum docte Graevio paruerit.

Huius ergo interfector, si esset,] Locus est varietatibus obsitus, interpolando, addendoque corruptus. Optimis codicibus parui, Saxonico, Hittorp. Werd. Bavar. Memmianis, quibuscum faciunt duo Britann. ed. Rom. et altera Veneta, Priscianus denique bis, p. 809. et 828. etiam in antiquissimo cod. Barberino. Pithoeanus adcedit, quinque Britann. et meus, si mendum ab iis tollas, *non* pro *si.* Neque cod. Barb. ab optimis discedebat, nisi emendator adfuerit, qui ex *si* fecit *qui*,

et addidit *etiam*, quae additio in octavo Britann. sic posita fuit, ut tamen *si* intactum remanserit. Nonus denique cum priore Ven. Aldo, et Naug. *non esset in confitendo ab his impetraturus*, etc. Alii, et ipse in ed. priore Lamb. *non esset etiam confitendo ab iis impetraturus*, etc. quod praetulit longe melioribus Heumannus. Ex tot varietatibus mihi primum oborta suspicio est, brevius fortasse scriptum ita fuisse: *Huius ergo interfector in confitendo ab iisne poenam timeret, quos liberavisset?* Sed recte Graev. *qui esset*, γενικῶς, ut supra c. 15. *quem qui tum interemisset*, Oliv. Lall. et Ernesto sequentibus. Neque tamen minus rectum, *si esset*, idemque longe firmius a MStis. Est enim de Milone utique hic sermo institutus: atque adeo interpunctione, qua sum usus, seiuncto, *si esset*, haud minus γενικὸν, si placet, hoc ipsum fiet. Sententiae vis in voce *huius* est posita, quae ad antecedentia refertur. Milo interfecerat Clodium, ut insidiatorem, non ut ab ea peste remp. liberaret, non ut hominem talem, qualis fuerat modo descriptus: nihilo secus in alio quovis insidiatore fecisset. Itaque hoc sensu negari poterat, Milonem *huius* talis hominis esse interfectorem: quum etiam c. 27. in huiusmodi confessione Milo *mentiri gloriose* potuisse dicatur, qua in re nemo illum posset refellere. Hinc infra h. c. *confiteretur — si fecisset — se fecisse libertatis omnium causa:* et c. 30. *quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala*, etc.

Prope ad immortalitatis et religionem] Mendose ante Grut. edebatur, *immortalitatem:* sic tamen in meis duobus, in octo Brit. ipsoque Bavar. Emendatio autem in utraque Ven. exstabat, *ad immortalem*. Britann. unus est reliquus, a quo confirmari haec videatur egregia Coloniensis, et Erfurt. lectio; etiam II. Philipp. 13. *immortalitatis memoria*, h. e. infiniti temporis. Immo pro ipsis diis immortalibus hic *immortalitas* accipi potest, praesertim quum *prope* ad emol-

liendam hyperbolen additum videatur. Similia sexcenta sunt, de quibus post alios Klotzius ad Tyrtaeum p. 64. et Schellerus Observ. p. 326. Iuvat notissimus locus, ut alios mittam, III. de nat. deor. 19. *Atque in plerisque civitatibus intelligi potest, augendae virtutis gratia, quo libentius reip. causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.* Neque tamen minus recte Lamb. *prope ad immortalitatem et religione et memoria consecrantur:* idque in utraque editione, ut Memmianis codicibus Fabricianos adcedere videri debeat: *ad immortalitatem*, h. e. ad immortalium conditionem: *religione*, ut I. Tuscul. 14. *vetera iam ista, et religione omnium consecrata: memoria*, ut V. ibid. 4. Socratis merita *Platonis memoria, et litteris consecrata.*

Sed etiam ad supplicium] Ita Lamb. Grut. et recentiores, Heumanno excepto, qui cum Naug. Camer. P. Man. Gryph. C. Steph. et repet. Lamb. maluit, *sed ad suppl. rapi etiam patiemini?* Suspecta semper collocationis varietas est: ut fortasse verius *etiam* omissum fuerit in cod. Steph. Barb. septem Britann. et meo, item in Rom. utraque Ven. et Aldi editionibus.

Et magno animo, et libente, se fecisse libertatis omnium causa] Interpunctionem restitui editorum omnium ab Aldo usque ad Grut. quam in meo quoque codice inveni, ut fecit Heumannus. Sic ablativus pertinet ad *confiteretur*, non, ut in aliis, ad *fecisse:* ut pro Caecina c. 9. *confitetur, atque ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur.* Quod vero ex omnibus ante Grut. editis *libenter* ab Heum. praefertur, est profecto in Erfurt. Barb. sex Britann. et meo: sed tres horum reliqui, et Bavar. lectionem Grut. tuentur, quae porro est elegantior. Plautus Pseud. V. 2. 22. *lubentissimo corde, atque animo:* Cicero pro Sex. Roscio 35. *libentibus animis,* I. Act. in Verr. 9. *fecit animo libentissimo po-*

pulus Rom. pro Cluentio c. 2. *animis vestris aut libentibus, aut aequis*, de H. R. c. 5. *non modo patienti, sed etiam libenti animo*, II. ad Attic. 4. *animo aequo, immo vero etiam gaudenti, ac libenti.*

Quod esset ei certe] Addidi *esset* ex optimis Erfurt. et Bavar. quod ex Memmianis dederat in prima ed. Lambinus. Erat ante Grut. *quod certe ei non confitendum modo fuisset:* delevit ille *fuisset*, quia non exstabat in Palatinis, quibuscum faciunt cod. Barb. tres Britann. meus, et prior Ven. Codices autem, qui *esset* adiiciunt, iidem detrahunt *certe*, immo Bavar. etiam pronomen, atque ita coniecturam Heumanni plane confirmat.

Cap. XXX. *Sui se capitis, quam vestri*] Omnes libri, *quam vestri ordinis*, uno excepto, sed eximio illo, Coloniensi, quo auctore toleratum a Grutero, qui agnovit, a Graevio, aliisque recentioribus, ab Heum. etiam probatum, ineptissimum glossema sustulit primus Ernestus. Iudices Cicero adloquitur: iudicabatur autem a tribus ordinibus: supra c. 2. et 8. infra c. 35. honorifice coniunguntur: vide Gronov. ad Gell. IV. 1. Quod c. 39. in Pis. de iudicibus eligendis dicitur, *nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur*, nihil obstat. Etenim qui ex tribus illis ordinibus ad res iudicandas deligebantur, in iudicum *ordinem*, h. e. numerum legi recte dicuntur: neque tamen idcirco unum aliquem civitatis ordinem constituebant, ex quo esse dicerentur; sed sui quique ordinis munus pro dignitate coniunctim obibant. At iudices universi populi, quem Milo dicitur liberasse, vices gerebant. Itaque, quum et in populo Rom. continerentur, et populi vicarii essent, facile adparet, cur dictum sit: *nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri, defensorem fuisse.* Hanc lectionem confirmant, et postulant sequentia: *qui poterat salus sua cuiquam non probari?* quae quidem similia sunt superioribus c. 2. *nec postulare, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco* etc.

In ea confessione] Heum. delebat *in*, quemadmodum paullo ante c. 29. ubi similiter, *in confitendo*. Sed alia huiusmodi plura sunt apud Tullium. Vide Cortium ad I. Cic. epist. 9. Lamb. mox, *sin factum*.

Cuiquam] Ab usitatis scribendi compendiis exorta varietas dubiam hic lectionem fecit, quum libri plerique habeant, *cuique*, alii vero, *cuiquam*, et rectum utrumque sit. Ernest. pervulgatum illud *cuique* praetulit, ut sic intelligamus: quomodo propria salus poterat singulis non probari? At Lamb. in utraque editione, Graev. et Heum. alterum exhibuerunt, h. e. quomodo esse aliquis poterat, cui salus propria non probaretur? Idem utroque modo certe dicitur: placet mihi tamen, et acrius quiddam locutioni adferre videtur, *cuiquam*. Sunt huius lectionis auctores Memmiani codices, Fabric. Erfurt. Bavar. Barber. et prior Veneta. III. de offic. 12. extr. *sed num ista societas talis est, ut nihil suum cuiusquam sit?* ut quidem Heusing. optime: nam erat ibi antea, *cuiusque*.

Hoc animo semper fuimus omnes] Deest vox *omnes* in Pith. et uno Britann. in aliis varie conlocatur. Lamb. ex suis MStis, Grut. et Graev. ut dedimus, comprobante Bavarico, et Erfurt. siquidem hic cum Lamb. facit, ut notat Graevius. Prior Ven. *omnes semper fuimus*. Ceteri editi, cod. Barb. et meus, *semper omnes fuimus*, quod Lambino falso tribuitur. Recte autem, *omnes:* nam se, Milonem, Opimium, Ahalam, Nasicam, et Marium intelligit, quos infra nominat. Hi periculum, et invidiam praeclaris factis adiunctam sciebant, partim etiam experti sunt. Vetus est dictum, praeclaras, magnasque res magis cum periculis geri, velut apud Herodotum VII. 50. μεγάλα πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι. Est etiam consulendus Abramius.

Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset] Ita codices Lamb. et Grut. Erfurt. Bavar. et quinque Britann. Antea excusi, cod. Barb. et meus, *mihi contri-*

buenda laus esset ipsi. Ernestus pro *esset* mallet *fuisset:* recte quidem, sed quam ipse consecutionem aliis locis tollere conabatur, quem conatum ad c. 29. refutavi, eam ut ultro inferret, non exspectabam. Verumtamen cur non potius pro *ausus essem* scribendum censuit *ausus sim?* quum praesertim codicis Erfurt. adiumentum illud subpeteret, *si id quum conabar.* Fuisset hoc mihi probabilius, ipsi vero certe constantius. Quamquam non ita mihi haec vulgata displicet, ut emendationem quaerendam putem.

Cap. XXXI. *Nisi qui nullam vim esse ducit, numenve divinum*] Hic libri mirifice variant. Palatini aliquot, unus Britann. et edd. 1472. 1480. *maiestatem esse putat:* duo alii Brit. *nullam maiestatem vim esse ducit*, adiuncto glossemate: Barb. quart. Brit. et meus, *fortunam esse putat:* cod. Car. Steph. *nullam putat vim aeternam:* edd. Rom. sec. Ven. Ald. et reliquae cum tribus item Brit. *vim caelestem existimat.* Tandem codices Memm. duo Fabric. multi Grut. etiam, ut opinor, Erfurt. sed certe Bavar. duoque reliqui Britann. nostram lectionem continent, quam Lamb. Grut. Heum. Olivet. et Ernestus optime restituerunt. Nam Verburg. et Lallem. Graevio sunt obsecuti glossema illud *maiestatem* adoptanti, multisque verbis defendenti, quem olim non reprehendebat Ernestus, ut ex eius indice constat p. nunc 605. adiuvabat etiam Menckenius Observ. L. L. p. 599.. Sed in varietate libris optimis parendum est, in quibus id exstat, quod et maxime Tullianum est, et constabilitur a sequenti repetitione, ut Heum. et Ern. iam monuerunt. Deinde adiectiva, *caelestem, aeternam*, esse ab interprete, nemo non videt: quibus sepositis, subfragia verae lectioni adcedunt plurima. Postremo *maiestas* et in voce *numen* includitur, et diis κατὰ κρέιττον a Tullio tribuitur iis locis, quos adtulit Menckenius: *vis* adhibetur ad naturam illam inexplicabilem designandam, ut locus hic postulat. I. Tuscul. 13. *multi de diis prava sentiunt: omnes au-*

tem esse vim, et naturam divinam arbitrantur: ibid. 49. *sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano;* quae II. de divinat. 60. dicitur *divina vis consulens nobis.* Quin adeo II. de nat. deor. 5. *homines*, inquit, *vim quamdam esse caelestem, et divinam suspicati sunt.* Adde ibid. c. 13. 15. 18.

Maiorum nostrorum sapientia] Lamb. ex suis MStis addidit *nostrorum*, adoptante Grut. omnibusque deinceps. Sed ea voce carere facile possumus, quam veteres editi, Bavar. optimus, Barber. sex Britann. et meus ignorant. Neque enim suspicionem glossematis potest effugere.

Neque — inest — et non inest] Haec sententia fusius exponitur II. de legib. 7. *Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte adrogantem, ut in se rationem, et mentem putet inesse, in caelo, mundoque non putet? aut ut ea, quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? quem vero astrorum ordines*, etc. Vide ibi Turnebum. Etiam II. de N. D. 21. *Caelestem ergo admirabilem ordinem, incredibilemque constantiam, ex qua conservatio, et salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est.* Quae vero huius loci propria est, conformatio verborum, in qua Schellerum quoque miror haesisse, facillime ex antiquis dialecticae formulis expeditur, quas optime noverat magnum Ecclesiae columen, Augustinus, cuius locos adduxit Heumannus. Nam ipsum habemus hac in re praeceptorem luculentissimum Ciceronem, qui hoc argumentationis enuntiandae genus *coniunctionum negationem* adpellari docet, exemplumque illius profert in Topicis c. 13. *non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia:* aliaque dedit eiusmodi c. 8. de fato; *non ei venae sic moventur, et febrem is non habet — non et sunt in sphaera maximi orbes, et hi non medii inter se dividuntur:* statimque subiicit: *quid est, quod non possit isto modo*

ex connexo transferri ad coniunctionum negationem? Quantum exemplum est I. de divinat. 38. quod expenditur II. 49. ad 51. Etsi autem hoc genere Stoici potissimum delectabantur, contorta omnia quaerentes, non fuit tamen a ceteris non modo sectis, verum etiam artibus, quibus dialectica opus est, repudiatum. Rhetores igitur ad gradationem id transtulerunt, ut auctor ille Rhetoric. ad Herenn. IV. 25. *non sensi hoc, et non suasi: neque suasi, et non ipse statim facere coepi: neque facere coepi, et non perfeci: neque perfeci, et non probavi.* Demosthenem ille imitabatur, quicum a Tursellino coniungitur T. II. p. 568. ed. Patav. Locus est celeberrimus de corona c. 55. p. 392. Harl. 288. Reisk. ad optima Latinorum exempla ita vertendus: *non ego haec dixi tantummodo, et non mandavi literis; neque scripsi, et legationem non obii; neque legatus haec detuli, et non persuasi Thebanis: sed ab initio usque ad exitum omnia sum persecutus.* Hoc etenim proprium, et singulare sibi adrogabat: quum oratores diceret, qui ante se fuerant, partem tantum negotii aliquam suscepisse, c. 64. p. 452. Harl. p. 301. Reisk. *ὁ μὲν γράφων οὐκ ἂν ἐπρέσβευσεν, ὁ δὲ πρεσβεύων οὐκ ἂν ἔγραψεν, scripsit alter, et legationem non obiit, alter obiit legationem, et nihil scripsit.* Male habitae ubique Latinae versiones: apud Quinctil. IX. 3. p. 814. apud Diomedem p. 443. apud Aquilam c. 40. p. 182. ubi nihil expedivit summus ipse Ruhnkenius. Praecipue *sed* pro *et* inter negationes adhiberi non debuit, quum *ἀλλὰ* sit in apodosi, non eo solum loco, verum etiam adfinibus, veluti III. Philipp. p. 118. Reisk. *καὶ οὐ γράφει μὲν ταῦτα, τοῖς ἔργοις δὲ οὐ ποιεῖ· ἀλλ' ἐφ' Ἑλλήσποντον οἴχεται, neque scribit haec, et non factis exsequitur: sed in Hellespontum evolat* etc. et de libertate Rhodiorum p. 192. *καὶ οὐκ ἐγὼ μὲν ταῦτα εἶπον, ὑμῖν δ' οὐκ ἐδόκουν ὀρθῶς λέγειν· ἀλλὰ καὶ ὑμῖν ἤρεσκε ταῦτα, neque ista ego dixi, et non vobis recte dicere visus sum: sed vobis quo-*

que mens eadem fuit. Habet vero exemplum illud insigne Dionysius de struct. orat. sect. VIII. p. 62. Vpt. et egregie, dum aliam in formam vertit, exponit: *ταῦτα εἰπὼν ἔγραψα γράψας δ' ἐπρέσβευσα, πρεσβεύσας δ' ἔπεισα Θηβαίους.* Hermogenes p. 362. Laurent. negationes ad ornatum retulit, et elegantiam, quum sic in concitata oratione usurpantur.

Tam praeclaro motu] Lamb. in utraque ed. *tamque:* sed vulgatam exempla tuentur, quae congessit Heum. ad c. 18. et 23.

Quia non adparet] Multa hic ex Graecis Abramius: sed ipse conferendus est Cicero I. Tuscul. 22.

Ea vis, ea igitur ipsa] Proxime adcedunt Lambini codices, qui, *ea vis est igitur ipsa.* Alii editi cum MStis vulgaribus, *ea vis, ea est igitur,* quos Heum. Oliv. et Lallem. secuti sunt. Herv. *ea vis, ea igitur est.* Britann. unus, *ea vis est igitur.* Bavar. denique, *ea vis igitur ipsa,* locumque a Grut. turbata syntaxi male constitutum ad sanitatem revocat. Nam ille delevit *est*, quum in Erfurt. deesse viderit: id vero fieri non poterat, quin simul alterum *quae* deleretur in iis verbis, *quae illam perniciem:* nunc iam tuto delevi, quum eo recte Bavar. careat: ex quo licet etiam coniicere, ne in Erfurt. quidem exstitisse. Elegantia certe, quam Grut. praedicat, eo pronomine retento, evanuerat. Ernestus iam ita legendum animadverterat: adiectitium *est* fuisse, ipsae indicant varietates.

Religiones mehercule ipsae, quae illam belluam] Ita ex Colon. et Werdensi Gruterus, neque aliter in tribus Britann. Eorum quartus cum Bavar. Barb. et meo, et ed. Rom. *ipsae, quae cum:* alii quatuor, *ipsae cum quae:* nonus denique cum MStis Lamb. *ipsae, quae tum.* Prior Ven. *ipsaeque arae, cum illam,* alii ante Lamb. *ipsae, araeque, cum illam.* Heum. probavit ex Palatinis, *ipsae, quum illam.* Sed haud minus, quam *arae*, manifestum est glossema *cum*, sive *tum.* Neque enim religiones, quae ad poenas re-

petendas se commovisse dicuntur, non potuerunt tum demum commotae dici, quum Clodium interire viderunt.

Commosse] A Lamb. et Grut. habet hoc Graevius, a libris nimirum egregiis, quibus Bavar. et meus adstipulantur. Oxoniensium quoque silentio id comprobatur. Heum. praetulit *commovisse*, quia Ciceroni usitatius.

Vos enim iam] Repudiat *enim* Heum. et pro *enim iam* legendum suspicatur *etiam*: quod esset absurdum, et magis, opinor, quam *autem*, quod est in priore Ven. et uno Brit. Verum omnino, et optimum est *enim*, ut in plerisque: siquidem loci compellantur, in quibus religiones erant, a Clodio violatae, quae ipsum cadentem viderant. Est enim ab Aricia ad Bovillas in conspectu mons Albanus, per colles, ac tumulos iter est. Lamb. ex suis MStis vocem item egregiam *iam* ante Grut. adiecerat. Coloniensis autem codicis lectionem totam confirmat non modo Bavar. verum etiam Quinctil. quo loco fidelius haec recitat XI. 1. p. 968. *Vos enim iam — testor*: nam vulgabatur ante Grut. *obtestor*. Idem IX. 2. p. 778. *Vos enim iam ego, Albani* etc. et minus adcurate XII. 10. p. 1101. *Vos enim, Albani*, ut Barb. tres Brit. et meus, editique permulti; et pluries, *Vos, Albani*, quomodo tamen in quinque reliquis Britann. inventum est.

Vestrae tum, vestrae religiones] Ineptum hic, et ridiculum additamentum omnes codices occupavit, *vestrae tum arae*, nisi forte conferentium oculos adcusare volumus. Coloniensem insignem codicem consuluerunt Modius, et Gulielm. Hi non modo nihil de illo codice monuerunt: verum etiam et Modius T. V. F. C. p. 121. et Grut. vitium animadverterunt, et suo Marte se id emendare professi sunt: et quidem alius aliter, Modius, *vestrae cum religiones*, Gruterus schedas Gulielmii possidens, melius, ut nos exhibuimus: quum spuriam vocem *arae*, quam etiam modo reli-

gionibus male adiunctam vidimus, ne liberrimus quidem corrector Heumannus, qui tertius rem intellexit, eiecerit. Atqui non est in tali re auxilium codicum exspectandum. Quid enim indignius, quam, postquam *aras* invocaveris, *vosque Albanorum obrutae arae*, subiicere in eadem invocationis formula, *vestrae tum arae, vestrae religiones viguerunt?* quid apertius, quam religiones viguisse, quas arae ipsae possederint?

Latiaris sancte Iuppiter] Mendose Gruterus, *Latiari*, in Bavar. quoque, *Latiarei*, quod ille in Werdensi dispexit. Editi ante Lamb. codices Parisienses, Britannici, Barb. meusque *Latialis*. Gruterum reprehendunt Graev. et Ernest. in indice geogr. p. 68. quia *Latiaris* non mons, sed Iuppiter dicebatur. Sed gravior est reprehensio in Modii testimonio, qui l. c. in Coloniensibus membranis, quas secutum se ait Gruterus, scriptum esse profitetur, *Latiaris*, quomodo sine codicum auctoritate Lambinus emendaverat. Ita vero codicis praestantissimi constat fides, quaecumque Gruterum causa fefellerit. Livius XXI. 63. *ne Latinas indiceret, Iovique Latiari solemne sacrum in monte faceret.* Suetonius in Calig. c. 22. *quidam eum Latiarem Iovem consalutarunt.* Minucius in Octav. c. 30. *Latiaris Iuppiter homicidio colitur:* quod habet etiam Lactantius I. D. I. 21. Ita his locis viri docti ex optimis libris, duobus in Suetonio Barberinis n. 855. 1964. firmantibus: ita sine varietate Servius ad XII. Aen. 135. Tamen apud Lucan. I. 198. Cortius, Oudend. et Burm. *Latialem* Iovem admittunt. Sed revocat se Oudend. ad Sueton. l. c. ex MStis pluribus postea consultis. Nam varietas in MStis est ista perpetua, ut notabat I. F. Gronov. T. III. syllog. epist. Burm. p. 7. atque ut optimae scriptorum, quos nominavi, aliorumque recensiones declarant. Neque interesse quidquam existimabat Casaubonus, *Latialis*ne legatur, an *Latiaris:* quem sequitur ipse Graev. ad eumdem Suetonii locum, Parisienses Lactantii editores, et Rhoerius ad Porphyr. de abstin.

II. 56. Sed *Latiarem* melius, tutiusque a plerisque praeferri suadet non tam meliorum ubique MStorum auctoritas, quam testimonium Prisciani p. 632. *Latium, Latii, Latiaris*, quod corrumpi non potuit, quippe inter similia complura denominativa pro exemplo positum. Lucani vetus Scholiastes ad l. c. *et tu de monte tuo edito Latialis sancte Iuppiter*: ubi *summe* adfert Burm. ex Heinsio, quae lectio ab adnotatione Abramii refellitur.

Aperuisti] Grut. e MStis quidem, sed male, *aperuistis*. Eum tamen secuti sunt omnes, praeter Heum. et Ernest. Hoc certe verbum pertinet ad solum Iovem: sequentia ad lucos etiam, et aras. Cum editis ante Grut. omnibus faciunt Bavar. Barb. et meus, omnesque Britannici. Scribitur in Bavar. *poeniendum*, ut in cod. Lamb. Vide ad c. 13.

Debitae] De hac voce animadversio est optima Menckenii, Observ. L. L. p. 209.

Dicemus] Ita etiam Bavar. Barb. octo Brit. et meus, item prior Ven. et C. Steph. Alii, *dicimus*.

T. Sextii Galli] Bavar. *Sesti, h. e. Sestii*, ut P. Man. Gryph. et C. Steph. ediderunt: neque aliud volunt codices illi Grut. qui habent, *Sertii*: est enim antiquum, in minore scriptura ita *s* conformari, ut nobis *r* esse videatur: quod et in papyraceis monumentis passim occurrit, et in membranis IX. X. XI. seculi saepe perspexi.

Vulnus acceperit] Lamb. in priori ed. emendavit *acciperet*, quod postulari visum est a sequentibus, h. e. *ut ante fundum* etc. *primum illud vulnus acciperet, quo taeterrimam mortem obiret.* Placuit hoc Heumanno, et Ernesto; immo etiam Grutero, quippe qui tacitus receperit; et, quum in duobus Britann. inventum sit, videtur in Memmiano etiam, et Gruteriano aliquo fuisse. Sed Lamb. ipse postea Saxonicum codicem nactus ex eo restituit, *acceperit*, quod erat in editis ante illum, quos habeo, et a Graevio in Erfurt.

a me in Bavar. inventum est. Neque aliter sex Brit. et meus: atque inde manavit, *accepit*, quod in Barb. uno Britann. et priore Ven. esse video.

CAP. XXXII. *Iniecit amentiam*] Sic supra c. 31. *vis* dicitur, *numenque divinum mentem iniecisse* Clodio, ut vi Milonem inritaret. Simile illud Homericum XIX. Iliad. 88. ubi Agamemnon culpam inritati ab se Achillis confert in deos: *Οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην:* quem locum Cunichius, quo doctissimo, et suavissimo viro adolescens utebar plurimum, Latinis optimis versibus sic expressit:

Saepe in me Danai iactarunt probra, malumque
Obiecere mihi facinus: sed non ego causa
Ipse fui: altitonans at Iuppiter, et mala Parca,
Tristis et, obscura quae nocte vagatur, Erinnys.
Haec etenim Graiûm in coetu mihi numina Noxam
Iniecere malam, dementi percitus ira
Eripui qua luce tuum tibi munus, Achille.

Atque ludis] Heum. maluit, *sine ludis*, ut simile ceteris rebus fieret, quae nominantur. Id reprehendi sane non debet, regnavitque ab Aldo seniore, qui invexit, usque ad Grut. et Lambini iudicio, ac forte etiam codicibus comprobatur, qui silens retinuit. Recepissem, nisi lectio visa esset infirmior, et ex anaphora emendatio facilior, quam contra. Est enim *atque* in Rom. et Venetis (in priore, *ac*), in Grut. et Graevii optimis codicibus, in Bavar. Barb. et meo, omnibusque Britann. Quod vero totum hoc, *atque ludis*, idem censet abiiciendum Heumannus, adsentiri non possum. Nam et ludi in funeribus nobilium, ac divitum fieri consuevisse constat, et locus hic amplior est superiore c. 13. ubi nulla est mentio ludorum, sed neque cantus, et lamentorum.

Amburreretur abiectus] Ita Lamb. in ed. priore, quum esset antea, *amb. etiam abiectus.* Idem ex Saxon. in secunda, *ureretur abiectus.* Ac sane nimis to-

leratum fuerat illud *etiam*, quod abest quidem ab Erf. unoque Brit. sed in Bavar. et plerisque retinetur. Verba *ureretur*, et, quod in duobus Brit. superest, *comburreretur*, huius essent rei propria, si perfecta illa fuisset: nunc verissimum est, *amburereretur*, ut ex c. 13. cognoscitur. Suetonius de Caligula c. 59. *cadaver eius tumultuario rogo semiambustum* (ut c. 13. *semiustulatum) levi cespite obrutum est: postea per sorores ab exsilio reversas erutum, crematum, sepultumque.* Simile quiddam in Clodio. Quamquam Asconius in argumento, *corpus*, inquit, *P. Clodii in Curiam intulit, cremavitque, quo igne et ipsa quoque Curia flagravit, et item Porcia basilica, quae erat ei iuncta, ambusta est.* Hic res verbis distinxit suis, et suspicionem iustam iniecit, se veriora narrasse, quam Tullius. Vocem *abiectus* ad totam sententiam pertinere arbitror, ex qua pateat, nihil Clodiano cadaveri humilius, ac vilius contingere potuisse. Infra c. 33. *in Curiam potissimum abiecit*, et c. 13. *tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti.*

Aliquid decoris adferre] Deest vox *decoris* in Erfurt. in cod. C, Steph. in Barb. in omnibus Britann. et meo, item in utraque Ven. et in Aldina. Sed ea iam aderat in ed. Rom. principe, a Bavarico, Saxon. aliisque optimis confirmatur, et retinenda mihi videtur.

Insultare videret, et pateretur] Lamb. in utraque edit. *insultare pateretur*, mediis eiectis, quae scilicet in suis codicibus non invenerat, quae desunt etiam in optimis Erfurt. et Bavar. tum in primo Francii, in Steph. Barb. uno Brit. meo, et priore Veneta. Verbum tamen *videret* optime adest; nulla etenim fuisset non videntis, ignorantisque patientia. Formula est in omnium gentium ore ab ipsa ratione posita, *videre, et pati.* Ita V, in Verr. 48. *patimur enim iam multos annos, et silemus, quum videamus* etc. Catullus XXIX. 5. et 10. *Cinaede Romule, haec videbis, et feres?* Verisimilius igitur puto, id ab antiquis emendatoribus de-

tractum fuisse, quam additum, quum Fortunae crederent, quippe caecae, id minime convenire. Multa dici contra possunt. *Fortuna* haec non est illa communis, sed *populi Romani* peculiaris, quae singulatim colebatur, cuius etiam facies efficta in nummis exstat, de qua egit Perizonius diligentissime, dissert. III. p. 267. Romanis ea neque fingenda oculis capta, neque ficta fuit. Sed mitto de caecitate ista quaerere: et primum id, quod est notissimum, dico, *videre* ad mentem referri solere, ac pro sentire, atque intelligere usurpari. Deinde locis ex una Philippica XIII. duobus hunc satis arbitror communiri: quorum prior est c. 5. *quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quae dicitur caeca, vidit?* alter c. 19. in epistola M. Antonii, *quod spectaculum adhuc ipsa Fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone, dimicantes.*

Caedes effecerat] Sic loqui non licere, adfirmat Ernestus: itaque sine dubitatione *fecerat* exhibuit. Sed I. Philipp. 2. *iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant,* ipso viro doctissimo probante, qui adeo in Indice p. 495. hanc in Cicerone locutionem agnovit. Item II. ibid. 42. *statimque illa mirabilia facinora effecit,* ut Plautus Pseud. II. 1. 16. *magna me facinora decet efficere.* XIV. Phil. 3. *quae L. Antonius in Parmensium liberis, et coniugibus effecerit:* ubi tamen haesitabat idem Ernestus. Sed Menckenianae L. L. observationes p. 305. poterant ei scrupulum penitus omnem adimere.

Capere eius amentiam] Lamb. χωρεῖ adscripsit in margine, quum nempe illius obversarentur animo Demosthenis, quem excoluit, loci duo: quorum ab altero ex Midiana p. 579. Reisk. ἡ πόλις αὐτὸν οὐ χωρεῖ, *non capit eum civitas,* haec sumpsisse Tullium putabat Lipsius II. V. L. 27. alterum Abram. adtulit ex Philipp. III. p. 118. huic similiorem, quo, Philippi facinoribus enumeratis, ita concluditur: οὔθ' ἡ Ἑλλὰς, οὔθ'

ἡ βάρβαρος τὴν πλεονεξίαν χωρεῖ τἀνθρώπου, neque Graecia, neque barbaria hominis aviditatem capit. Est autem *πλεονεξία* Tullianis verbis V. Tuscul. 6. *cupiditas inexplebilis rabide adpetens omnia.* Alia porro cum hoc exempla Latina coniunxit Pareus Lex. crit. p. 167. et Vorstius de Latinitate selecta I. 5. p. 97.

Nostris servis addicerent] Legem de libertinorum subfragiis significari ait Asconius, idemque vel ipse confirmat, ut Maius V. C. censet, vel quisquis scholia conscripsit ad Senatoriam Ciceronis interrogationem in Clodium p. 39. Eamdem vero fuisse legem Manutius existimat, quae infra commemoratur his verbis, c. 33. *lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset.* Sed haec mihi videtur, vivo Clodio, numquam proposita, et praedicata, eoque demum occiso, ex scrinio illo Clodiano prodita, quum scriptor illius Sex. Clodius gloriaretur apud suos, eam se legem in servorum maximum commodum excogitasse. Scholiasten Ambrosianum integrum eo loco non esse, dolendum est. Verumtamen ex detritis, et hiulcis litteris dispicere mihi videor, duas leges distinctas ab eo fuisse; et locum, quem certe adfert ex *oratione, quae habita est pro Milone*, ad hanc alteram pertinere. *Manet illa quoque excepta eius oratio*, inquit ad argumenti finem Asconius. Illius autem loci pars superior apud Quinctilianum exstabat IX. 2. p. 783. quam inde sumptam, nescio quomodo, Gesnerus divinaverat: nam de mortuo Clodio certe dici non poterat, *quam Clodius a se inventam gloriatur.* Nunc, posteriore parte a Scholiaste Ambrosiano ita prolata, ut *ἀποσιώπησιν* contineat, propter quam locus citatur a Fabio, patefactum est, omnia sic esse conglutinanda: *An huius ille* (P. Clodius) *legis, quam (Sextus) Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam Consule? de nostrum enim omnium — non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habi-*

tura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est. Obscura tamen adhuc huius legis est sanctio: neque enim satis adiuvant superiora illa c. 28. Clodium *servorum exercitus in urbe conscripturum fuisse, per quos totam remp. resque privatas omnium possideret.*

Quod quidem ille adamasset] Deest *ille* in duobus Britann. cui pronomini aliud *ipse* ab Ernesto substituitur. Nulla est mutandi necessitas.

Ipsum illum, qui poterat obstare, novo etc.] Erfurt. ad Lamb. *illum ipsum — Cn. Pompeium novo* etc. quem sequitur Heum. quasi Pompeium non significari, sed nominari oportuerit. Nominatur sane in plerisque libris: sed glossema multi coarguunt, ut ed. Rom. cod. aliquot Grut. et Britann. ut etiam meus, et Barb. varie corrupti. Aperte quidem c. 8. *timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae:* hic tamen, si adtendas Pompeium nomine adpellari minime oportuisse concedes. Causa plane nulla est, cur a praestantissimo cod. Coloniensi nomen illud omittente discedam: quicum duo alii optimi, Werd. et Bavar. prorsus consentiunt, et quatuor Britann. praeterea, si recte notatum est, ut existimo. Pompeius in conspectu iudicum ad Aerarium sedebat: *illum* dicere orator potuit δεικτικῶς, ut c. 26. *quod vero in illo loco, atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet.*

Quasi devinctum] Non habet *quasi* unus Britann. et pro ea voce *sibi* dedit Lambinus, haud certe perperam. Ego nihil muto, et non Clodio deditum, sed constrictum quasi quibusdam vinculis Pompeium, ne obstaret, intelligo. Sic enim absolute I. Agrar. 5. Italia dicitur *omnibus vinculis devincta, et constricta:* pro Cluent. 64. *nuptiis adligatum, simul et testamenti spe devinctum:* VI. Epist. 10. *devincti meis magnis veteribus officiis:* de fato c. 9. *ii mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devinciunt.*

Caesaris potentiam suam esse dicebat] Dubia hic

vehementer est optio. A priore Ven. usque ad Grut. editum fuit, *C. potentiam suam potentiam esse dicebat,* ut pro Marc. 7. *tua enim cautio nostra cautio est.* Hanc geminationem tuentur Lambini codices, Erfurt. Pith. Bavar. quinque Britann. Barb. et meus. Hanc praeferebat Heum. Tamen summam Coloniensis auctoritatem nolui contemnere, critica ratione munitam, non modo a Gruteri proprio cod. et a quatuor Britann. verum etiam ab ed. Rom. principe comprobatam: cui favent duo loci a Manutio prolati, infra c. 86. *eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam,* et pro Deiotaro c. 5. *tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hostem esse duxit suum:* quibus porro ex locis Heum. hic etiam putavit melius fore, *ducebat,* quod Cruquius quoque coniecerat, et mirum profecto est ita nullo in libro repertum esse, quum frequentissima sit commutatio. Sed Clodius non tam id sibi persuadebat, quam praedicabat.

Etiam in meo casu] Lamb. ex suis, Graev. ex Erfurt. dederunt, *bonorum animos in meo casu contempserat:* neque habent *etiam* Bavar. septem Brit. et meus, ed. Rom. et ambae Ven. Ego reliquos sum secutus cum Grut. Heum. et Ernesto. Nam recte adesse *etiam* existimo, vel *iam.*

Cap. XXXIII. *Mentem*] Vulgatum ordinem, *mentem dederunt illi* etc. mutavi, optimis codicibus obsecutus, Saxonico*, Erfurt. et Bavarico.

Numquam illum] Interrogationem requirebat Heum. *An umquam illum* etc. ut mox, *An Consules* etc. At, si vim argumentationis considerasset, ab integro loco manus abstinuisset. Nam resp. aut per Senatum, aut per Consules Clodium punire potuisset; quorum neutrum Cicero demonstrat futurum. Una per partes propositio probatur.

Circumscripsisset] VII. ad Attic. 9. *si forte Tribunus plebis SCto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit.* Est igitur *circumscribere* minus, quam

tollere hac in re, neque aliud est, quam, ut infra dicitur, *coercere*, h. e. prohibere, atque interdicere, ne magistratus sua potestate abutatur. Ita II. Philipp. 22. Trib. pl. *circumscriptus* Antonius. Vide Graev. ad illam epist. qua Hottomannum refutat existimantem, removeri a Curia, a foro, a rep. quem Senatus circumscriberet: Ernestum adde in Ind. p. 379. et Gesneri thesaurum. Quod Suetonius scribit in Caesare c. 16. *Praetorem illum, et Q. Metellum Tribunum pl. decreto Patrum administratione reip. submotos fuisse*, non magistratus abrogationem significat, sed circumscriptionem ipsam, ne munera magistratus, quo abutebantur, obirent. Quum autem *circumscribere* latius pateat, et *tollere* aliquando significet, ut apud Graecos περιγράφειν ἐκ τῆς πολιτείας, inde obscuritas, et error exortus Graecam formulam huc transferentium.

Virtutem Consularem crudelissime vexatam] Colon. Werd. Erfurt. Bavar. hoc me adscire iusserunt, quod a Grut. olim prolatum, et receptum, ab omnibus eo posterioribus reiectum fuit, uno excepto Cellario, qui male tamen interpretatus est, quum *virtutem*, iuquit, Ciceronis, viri Consularis. Neque id eum iuvat, quod legitur pro domo c. 11. *par amicitiae Consularis*, de duobus amicis Consularibus, Cicerone, et Pompeio: quamquam is locus obponi possit Ernesto, qui *Consularem virtutem vexatam* idcirco repudiat, quod sermo sit de vexato Cicerone iam Consulari, quum eam locutionem putet intelligi non posse, nisi de homine Consulatum gerente. Immo vero et de viro Consulari agitur, et simul illius Consulatus respicitur. Satis enim non erat *Consularem virum*, ut in vulgatis est, fuisse a Tribuno *vexatum*, nisi etiam ob ea vexatus fuerit, quae ille gesserat in Consulatu. *Virtus* itaque *Consularis* est virtus in Consulatu praestita, quam ipsam vexavit Clodius in Cicerone, quum hic, quia Consul fortis fuerat, et remp. a nefariis civium perditorum conatibus vindicaverat, expulsus est. *Virtus*

autem est pro fortitudine, ut saepe, quod antecedentia tum indicant, tum etiam postulant, *quis in eo Praetore Consul fortis esset.* Et III. in Catil. 12. negat *in gloria virtutis* quidquam se altius videre, quo adspiret. Ita locutio cum re convenit adcuratissime, nihilque non apertum habet, atque usitatum. *Vexare virtutem* ipsam hoc sensu haud minus recte dicitur, quam *violare* pro Balbo 7. et hic infra c. 37. *expellere* etc. Etiam pro Sext. 5. *Tribunorum pl. novorum, qui tum, extremis diebus Consulatus mei res eas, quas gesseram, vexare cupiebant,* etc. Denique quod est p. r. in Sen. c. 4. *nec enim eguissem medicina Consulari, nisi Consulari vulnere concidissem,* haud idcirco huic *virtuti Consulari* minus est simile, quod casus nihil ab inlato per Consules vulnere, vexatio tempore distat ab exprompta virtute. Est autem *virtute* in Palatinis, in Pith. cod. et C. Steph. duobus Brit. et meo; *virtutem* diserte in alio Brit. *virum certe* in Barb.

Obpressisset] Grut. hoc verbum protulit ex tribus iisdem eximiis codicibus, quod in aliis omnibus deest, etiam in Bavarico, quum similiter desinat antecedens *meminisset.*

Qui mortuus] Cod. Lamb. et Bavar. *quum mortuus.*

Caput urbis] Colon. et Ursini codex, *caput orbis*, atque ita legerat Cruquius: erat enim ea lectio nota ex ed. Iuntina, ut ab Ernesto discimus, ex aliisque fortasse; eademque in duobus Britann. inventa est. Sed nos ita legere orationis progressio non sinit, in qua *urbs, socii, omnes gentes* ordinem optimum, verumque faciunt: quod nisi esset, Ciceronis tamen consuetudo intercederet, qui *orbem terrae,* aut *terrarum* solet dicere. Abramius infra male citat locum II. de offic. 8. ibi etenim non *patrocinium orbis* legitur, sed *orbis terrae,* ut diligentia illorum temporum postulabat. Poetae vero, qui Augusto imperante floruerant,

orbem κατ' ἐξοχὴν ita usurparunt: quae auctoritas posteriores quidem tuetur, ad Tullium autem nihil pertinet. Mecum Ernestum sensisse gaudeo.

Populo Romano] In Bavar. Barb. septem Brit. et meo deest, *Romano*, ut in priore Ven. Naug. et Herv. quod tamen retinendum puto. Heum. emendabat, *huic ordini*, quasi Cicero in Senatu loqueretur, aut soli Senatores tum iudicarent.

Ustor] Rom. et aliae apud Ernest. item Ald. et Hervag. duoque Britann. *ultro.* Infirma lectio, quae inficete adverbium nomini obponit, orta videtur ex illa communi, *ultor*, quae a Wald. priore Ven. Naug. P. Man. Lamb. Graev. plerisque MStis consentientibus, Barb. etiam, et meo, latissime est propagata. Grut. ex Colon. *ustor*, cui adcessit iam Erfurt. nunc adcedit Bavar. Graevius, et Heumann. rectius ultorem obponi signifero censuerunt. Ernestus autem Gruterianam quidem lectionem retinuit; sed ei nihil horum, quae habemus, placet, aliudque nondum inventum quaerit, cui *signifer* tam obponatur, quam mortuo vivus obponitur. Mihi optio potius est proposita, quam divinatio; maiorique curae argumentum est, quam obpositio verborum adcuratissima. Videamus ergo nomina, quae duo supersunt tam exiguo ad scribendum discrimine, ut qui eligi utrumvis posse neget, esse oporteat neminem. Sextus ulcisci certe P. Clodium voluit; ut ad ultionem populum incitaret, cadaver in Curiam detulit; etsi *ultor* signifero non obponitur, tamen *ultor mortui*, *signifer vivi*, satis recte dici mihi videtur. Denique argumentum a studio Sexti erga mortuum, quod declaratum abunde fuit, non est absurdum. Si, quum, duce mortuo, satellitum animi concidere soleant, tanta hominis fuit audacia, quid, vivo illo, non esset ausus? Sed quem dolor, et iracundia incitat ad sui ducis ultionem mortui, eritne is audacia multo minore, quam si viventis exsequeretur imperia? Cicero ipse supra c. 13. dum causas audaciae colligit, sibique obiicit, *fuit*,

inquit, *ultor iniuriae, punitor doloris sui.* Audebat omnino Sextus, iisdem, quibus Publius, Pompeio fretus, et Caesare: verum erat id Ciceroni maxime dissimulandum: neque tantum nervorum, atque opum homini infimo tribuendum, ut ad nobilis, potentisque viri ultionem subficerent: quae porro Senatum universum incendio Curiae laederet, atque inritaret. Est enim grave, ac vehemens, neque idem satis adpositum, verbum *ultor:* contra *ustor* lenissimum, et rei conveniens: nam Sextus cadaveris cremandi causa in Curia rogum exstruxerat: obponitur autem signifero, ut munus muneri, munusque funebre, humile, ac sordidum militari muneri splendido, et lauto. Quantopere ad contemptum valeat, vide apud Scaligerum ad Catull. LIX. 5. p. m. 54. Argumentum ita fit non modo acerbius, verum etiam clarius, adscensuque longe maiore. Summa codicum adest auctoritas, corruptio inde facillima.

De via Appia] Adiectitium mihi videbatur, *via:* abesse postea vidi ab uno Britann. et fortasse abest a pluribus aliorum: vide supra ad c. 6. et 14.

Et qui ab eo spirante] Totum hoc, ut ex tribus optimis Grut. MStis editur, est in Saxon. in Bavar. et uno Brit. Menda ceterorum vide, si lubet, in variis lectionibus Graevii.

Ab inferis] Retinui lectionem omnium a Naug. ad Graev. qui cum veteribus ante Naug. editis dedit, *a mortuis*, quum ita esse viderit in Erfurt. Pith. et Francii utroque, quomodo etiam Bavaricus, Barb. octo Britann. et meus. I. de orat. 57. *patrem eius, ut soles, dicendo a mortuis excitasses.* Repudiavit hoc immerito Heumann. quia rarius est, et *ab inferis* dixit Cicero p. r. in Sen. 10. II. in Catil. 9. pro Cael. 14. pro Marc. 7. Adde vero supra c. 29. pro Font. 12. pro Sextio 62. et alios locos. Ego vero non repudio, sed cautionis causa pervulgatam alteram lectionem non mutavi, quia videri potest *a mortuis* interpretis manum redolere. Alia

est varietas, *eum*, *ipsum:* in Bavar. utrumque coniunctum: *eum* habet Ald. et alii: *ipsum* codices optimi iam inde a Lamb. tum meus, et Barb. omnesque Britannici cum ed. Rom. et utraque Veneta.

Furias insepulti?] Rem hic omnem involvit, et torquet Heumann. quam recte Abramium arbitror explicasse. Vide quoque, ut unum de multis addam, Buchnerum ad Plin. VII. epist. 27. 11.

Cum falcibus ad Castoris] Sic plane legitur in Bavar. ut Aldus, Naug. Man. Lamb. Grut. omnesque, opinor, ante Graev. ediderunt, et postea Ernestus: quam lectionem confirmant ii libri magnopere, qui habent, *cum falcibus, ac rastris:* hi sunt Pith. Steph. Barb. sex Britann. et meus, editique ante Aldum mei: atque adeo tres Britann. aliique, dum exhibent, *cum facibus, ac rastris*, ostendunt ipsi quoque *falcibus* legi debere: neque enim dubium est, quin mendum illud, *ac rastris*, pro *ad Castoris*, idcirco exstiterit, quia vox *falcibus* antecedebat. Atque haud scio, an idem fuerit mendum in Erfurtensi, ex quo Graev. unam protulit vocem, *facibus.* Fabricius est unus, qui in MStis suis esse dixerit, *cum facibus ad Castoris:* quem secuti sunt Graev. Heum. Olivet. ac Lallem. sed Lamb. ipse deseruit. Aedes certe Castoris incensa non fuit: ne tentatum quidem illud incendium: nam, ut de Curia, memoriae traditum haberemus. Hic autem agitur de re perfecta, quam boni cives prohibere nequiverint, qualis caedes in foro, et Curiae incendium fuit. Neque adsentiri Graevio de Milonis domo suspicanti possum: quam quidem incendere Clodiani conati sunt, ut a Dione traditur XL. 49. sed neque pro domo templum, neque locus ullus, nisi publicus, commemorari, et revera esse debuit. Quorumdam etiam fertur emendatio, *fascibus*, quam Gulielm. et Abram. probaverunt, Asconii narratione permoti: sed fasces e domo Interregis ereptos ad aedem Castoris deferre, ratio non erat: quorum quidem ereptio seditiosa, et violenta fuit,

in aede sacra depositio, non fuisset. Iam vero Buherius ad I. in Catil. 4. lectionem nostram *falcibus* satis recte defendit. Non etenim falces hae messoriae fuerunt, sed quae in armis numerabantur, quum militaribus, tum etiam gladiatoriis: in Clodiana vero illa manu servi erant plurimi, θεραπόντες οἱ πλείους, inquit Appianus II. Civil. 22. h. e. gladiatores. Est igitur Ernesti opinio probabilis, in aedem ipsam Castoris voluisse illos inrumpere. Sed facti causa non patet. Si etenim arma quaesisse putavit Ernestus, quae in illud templum, Clodio Tribuno, fuerant comportata, ut pro domo 21. pro Sext. 15. in Pison. 5. et 10. narratum est, verisimile non videtur. Sin memores illius temporis *castellum forensis latrocinii* ibi constituisse; quisnam de coniectura velit ad hunc tumultum meditata Tribunatus acta transferre? Templi certe fores effractae videntur illis falcibus, arcae fortasse, et armaria, quum latrones illi pecuniis maxime inhiarent, quas ibi deponi consuevisse ostendit Graevius ad c. 4. pro Quinct. Causa haec profecto verisimilior: armati vero falcibus etiam secures facile adtulerint.

M. Caelius] Non defuit huic loco mendum usitatum *Caecilius*, in duobus Britann. animadversum, quod omnes Appiani libros occupaverat, nunc vero a viro praestantissimo Schweighaeusero sublatum est. De hac permutatione diximus ad c. 14. Sed grave M. Caelio Appianus ipse l. c. vulnus inflixit, quem a Milone corruptum mercede scripsit apud concionem itidem corruptorum esse locutum; Tribunosque reliquos, καὶ τοῦ δήμου τὸ ἀδιάφθορον supervenisse cum armis, magnamque stragem populi fecisse. Haec nimirum, quam *incorruptam* vocat, fuit Clodiana illa servorum, latronum, egentium multitudo notissima, quam hic Cicero concionem disturbasse dicit, et populum Rom. h. e. bonos cives cecidisse. Ex decem vero Tribunis ei multitudini aderant Clodiani tres ab Asconio commemorati, qui Miloni saltem duos favisse tradidit: *concionem*, in-

quit, *etiam ei post aliquot dies dedit M. Caelius Tribunus pl. et Manilius Canianus eius collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant,* h. e. apud sanam populi partem. Quinque reliqui Tribuni his turbis sese committere noluerunt. De Caelio iudicium hoc suum, quum iam ille Praetor malis in consiliis, socio Milone, perisset, ita confirmat Cicero in Bruto c. 79. *talis Tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem, turbulentamque dementiam a Senatu, et a bonorum causa steterit constantius.*

Vir et in rep. fortissimus] Deerant ante Grut. voces, *et in re publica,* quae ille addidit ex Colon. et Werd. ego reperi in Bavar. Oxonienses in quatuor aliis, quorum ipsorum tres, *vir et in rep. vir f.* ut ex meliori codice emendatos agnoscas. Ernest. hoc recte probavit, Heumann. sine causa reiecit. Fortitudo Caelii in re publica tuenda laudatur, ut firmitas in suscepta Milonis causa defendenda, iuvanda. Pro Sext. c. 44. *ut in privata re deos penates suos, in re publica iura Tribunatus, auspiciaque defenderet.*

Cap. XXXIV. *Etiam repugnante hoc*] Confirmant *etiam* Bavar. inprimis, cod. C. Steph. Barb. omnes Brit. et meus, cum priore Ven. Naug. Herv. Lamb. Grut. et Graev. Eius loco est *autem* in Rom. sec. Ven. Ald. P. Man. et Gryph. cuius lectionis interpunctio, *ego autem, repugnante hoc,* quum in Gruteriana remanserit, male a posterioribus retenta est, eaque fortasse de causa reductum est *autem* a Lallem. Sed eam recte correxit Heumannus. Quinctil. VI. 5. p. 577. oratorem laudat, quod Miloni *preces non dederit, et in earum locum ipse successerit.* Sed de hac tota peroratione consulendus est ille VI. 1. p. 506. et XI. 1. p. 970.

Atque haud scio, an] Coniunctio *atque* deest in Bavar. in Barb. in meo, in tribus Britann. et in edit.

Rom. principe. Ego ad aures implendas aliquid potius deesse suspicor, quam superesse.

Conditione] I. de offic. 13. *est autem infima conditio, et fortuna servorum.* Abramium consule.

Se acriter ipsos morti obferentes] Quum in libris fere omnibus, et in ipso Bavar. sit, *ipsi morti*, egregia fuit Lambini coniectura *ipsos*, quam codex omnium optimus Colon. comprobavit, cui nunc duo Britann. videntur adcedere. Quin etiam sic habet Iulius Severianus Rhetor p. 344. *et se acriter ipsos morti obferentes servari cupimus:* ex quo recepi etiam *servari*, uno adstipulante Brit. et ed. Angelii Iuntina apud Ernestum, qui probavit, ut multo ante in ed. priore Lambinus. Bona est etiam coniectura Gulielmii, *alacriter*, cui subscribit Heum. sed minime necessaria. Nam fortium, et animosorum proprium est *acriter* facere, ut omnes libri exhibent, et Severianus. Nam Servius ad VIII. Aeneid. 614. *acrem Turnum* explicat fortem, additque: *et proprie apud nos acer est, qui apud Graecos δεινὸς dicitur.* Licet itaque *acriter* sic interpretari δεινῶς, ut studium hominis, cupiditatem, contentionemque significet. Hesychius: *Δεινοί, σπουδαῖοι περὶ τὸ πρᾶγμα.* Cicero autem se ipse tuetur IV. Tuscul. 23. *nisi forte quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur.* Abramius locum indicat hinc effictum Senecae de tranquillitate animi c. XI. qui sic habet: *Gladiatores, ait Cicero, invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt: favemus, si contemptum eius prae se ferunt.* Haec tam deteriora tamen iam inde a Sigonio in Tullii fragmentis incertis conlocantur: quamquam ex umbra hunc deformari locum Patricius p. 43. intellexerit.

Valeant] Heum. Olivet. et Lallem. ter positum *valeant* ex unico, sed egregio cod. Colon. non probant, et bis cum reliquis ponere malunt: hoc tamen ordine Heum. et Lall. valeant, inquit, cives mei, valeant; quum Olivetus ceterorum omnium librorum, quem firmant

Erfurt. et Bavar. ordinem reduxerit, *valeant, inquit, valeant cives mei.* Immo duo Brit. *valeant* semel exhibent. Coloniensem secutus est mecum Ernestus. Vide supra ad c. 12.

Mihique patria carissima] Heum. delendam putat vocem, *patria*, quod Miloni patria non Roma fuerit, sed Lanuvium, et Italiam vocet Milo patriam suam, non Romam. Nempe vir doctus de alio, eoque celeberrimo Tullii loco non cogitavit II. de leg. 2. Tam Ciceronis Arpinum, et Lanuvium Milonis, quam utriusque Roma erat patria, immo Roma etiam potior. *Nos*, inquit ibi, *et eam patriam ducimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, qua reip. nomen universae civitatis est.* Hinc infra h. c. Milo ait ad Tullium: *ego, quum te patriae reddidissem, mihi futurum in patria non putarem locum?* et c. 37. *revocare tu me in patriam Milo potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero?* His locis non Italia, sed Roma intelligitur, multisque aliis, et I. in Catil. 11. apertissime: *si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis resp. loquatur.*

Quoquo modo] Hic ordo est a Lamb. et Erfurt. nunc etiam a Bavar. ceteri, *quoquo modo merita de me erit.* Sed nescio, unde *quoque modo* sumpserit Pareus in Lex. crit. p. 1047. observationem illam suam ornans exemplis, qua docet, *quisque* omnibus casibus pro *quicumque* adhiberi.

Et quam primam tetigero] Mirandum est, in omnibus libris mendose legi, *primum.* Vix tamen putem: conferentium incuriam libenter intercessisse suspicor. Certe Tullianum non est istud *primum*, et *primam* legere necesse est. Fecit hoc primus Kohlius quidam apud Heumann. deinde illius nescius, pro sua elegantia, et peritia Latinitatis Ernestus. Est autem in primis consulendus Heusingerus in observ. antibarb. p. 426. ubi Kohlio plaudit, et Heumanno. Hic ex Livio

XXXVI. 9. adtulit, *eius urbis, quam primam adgressus esset.* Apud eumdem XXIII. 10. *rem, quam primam peterent*, et ibid. c. 23. *primos in demortuorum locum legit — ut quisque eorum primus creatus erat*, emendavit uterque Gronovius, quum esset utrobique *primum*. Librarii saepissime ex hoc adiectivo adverbium fecerunt. I. de offic. 5. *ex ea parte, quae prima* (al. *primo*) *descripta est*, et II. Philipp. 5. *ut eum primum* (etiam hic, *primo*) *nominem*, quomodo idem Livius XXXII. 10. *Thessalos primos omnium nominavit*, ubi similiter variatum fuit. Drak. vide ad XXXIV. 14. a quo VI. 11. editum vellem, *primus omnium ex patribus popularis factus*, quum auctoritatem MSti praebeant, Fabri, Perizonii, Dukeri iudicio comprobatam: nam ibi quoque perperam est *primum*. Gronovium adde I. Observ. 7. p. 53. ed. Lips. sed nihil testatius. Alia est huius loci emendatio Noltenii Lex. antibarb. p. 1748. *quum primum*: eam contemnebat merito Heusingerus.

Me Senatui dedissem] Facillime syllabae iteratio perierit, et scriptum a Tullio fuerit, *dedidissem*: sic enim c. 2. *nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus*, et paullo ante c. 33. M. Caelius dicitur *bonorum voluntati, et auctoritati Senatus deditus*: pro Sext. 51. de uno Gellio, *est homo iste populo Rom. deditus — studio litterarum se subito dedidit*: in Bruto c. 62. *nimis equestri ordini deditus*, et ita passim. De hac frequentissima syllabae detractione Drak. ad Liv. XXXIX. 50.

Non putarem locum?] Ordinem hunc suis ex MStis Lamb. invexit, Grut. adscivit, atque transmisit. Videtur in Erfurt. quoque fuisse. Sed Bavar. Barb. meusque cum ante Lamb. editis, *mihi non futurum in patria putarem locum?* quod quum Olivet. reduxerit, Oxonienses silentio comprobarunt.

Ubi nunc Senatus est] Verbum *est* omittit unus Britann. quod Cicero facere non consuevit, quum se-

mel interrogabat, ut in Pison. 27. *ubi sunt vestrae scholae?* et VIII. Philipp. 8. *ubi est ille mos, virtusque maiorum?* Sed in coacervatis interrogationibus, quales hoc loco videmus, nullum saepe particulae *ubi* verbum adiungit. Sic pro Planc. 13. *ubinam ille mos? ubi illa aequitas iuris? ubi illa antiqua libertas?* et in Pison. 40. *ubi exercitus? ubi sumptus? ubi illa uberrima subplicationibus, triumphisque provincia?* et V. Philipp. 3. *ubi lex Caecilia, et Didia? ubi promulgatio trinûm nundinûm? ubi poenae recenti lege Iunia, et Licinia?* Plinius quoque Paneg. IX. 5. *ubi deinde disciplina? ubi mos a maioribus traditus*, etc.

Cap. XXXV. *Negat ingratis civibus fecisse, quae fecerit*] Graev. ex duobus Francianis codicibus, *quae fecisset*, adscivit, quod etiam in Barb. in quatuor Britann. meoque, et in meis omnibus ante Naug. editis esse video. Id natum puto ex antecedente *fecisse*, quod ipsum hic repetunt tres Britannici. Ita plane pro Sextio 34. in simili locutione, *ita illum — scripsisse, quae scripserat*, bonos aliquot libros, *quae scripsisset*, habere adnotavimus. Heum. praetulit, *fecit*, quod a P. Man. et Car. Steph. acceptum, non sine codicum suorum auctoritate Gruterum retinuisse credendum est: neque aliud in Erfurt. repertum indicat Graev. In hac varietate iudiciorum ego meum sequor, quod idem Lambini, et Ernesti fuit. Est autem *fecerit* in Saxon. et in Bavar. rectissime: eratque adeo in editionibus Naug. Camer. et Gryphii. Eadem ratione inferius posita, *desideravit, cupierit, fuerit, vicerint:* quid enim Latinum magis, et usitatum? Etiam fortasse in Sextiana verum fuit, *quae scripserit*. Locum Abramius optime interpretatus est, quem inmerito Graev. reprehendit. Conferenda enim ea sunt, quae supra dixit Cicero c. 28. Ea scilicet potius respicit, quae Milonis loquentis magnitudinem animi decent, et huic maxime sermoni conveniunt, quam quae dicuntur cap. 30. et Graevium

fortasse deceperunt, ut quod planum, et apertum est, alienis notionibus implicaret.

Eam, quo tutior esset vita vestra, se fecisse commemorat, ut etc.] Grut. ex Colon. *vita nostra, suam se* etc. atque ita in uno Brit. Unus postea ab hac lectione discessit Heum. veteremque restituit, quae locutionem continet Tullio perfamiliarem, et exempli causa citavit ex plurimis locis I. de offic. 31. de senect. 12. III. in Catil. 3. Codex ille optimus hic cedat oportet ceteris libris, et Asconio, qui *suam* non habent. Adiecit eam vocem aliquis, qui pleonasmum noverat vocis *eam,* de quo ad c. 2. de H. R. et alibi diximus, sed constructionem planissimam requirebat. Qua ille additione non modo elegantiam loci corrupit omnem, sed etiam sensum intimum deseruit oratoris, qui largitiones Milonis permagnas laudat, ne dum excusat, easque pro rep. factas, non pro Milone ipso, videri vult. Longe autem melius in hac sententia dicitur, fecisse Milonem, ut plebem flecteret, ac deleniret, quam eam *suam,* h. e. sibi faventem fecisse. Restitui etiam debuit, *vita vestra,* etsi etiam Bavar. unus Brit. et Naug. *nostra:* neque enim hoc esse debet dissimile ceterorum. Reliqua pronominis adiectione male cohaerentia, in quo tantum erat vitii, ut etiam ridicule dicerentur, nunc plana sunt, atque recta. Unum in iis emendavi: pro *deliniret* cum Aldo nepote, et Iac. Gronovio *deleniret,* quod transpositis litteris apud Asconium scribitur *delineret.* Postulatur hoc a sententia, et a sequentibus, *quum plebem muneribus placarit:* vide Drak. ad Liv. V. 31.

Vestrorum ordinum] Heum. coniecit, *ceterorum ordinum,* ut in Senatu c. 4. *omni auxilio non solum suo, sed etiam vestro, ceterorumque ordinum.* Error docti viri sane mirificus, qui haec agi apud Senatores existimaret, ut illa, quae citavit: declarat eius adnotatio ad c. 30. et emendatio alia c. 33. Quisnam compertum habere nequeat, in Milonis causa tres ordines, ut ad

c. 30. vidimus, iudicasse? *vestras* dixit de ipsis iudicibus, eorumque diversos ordines universos adiecit.

Quemcumque cursum fortuna dederit] Minus recte Ald. *casum*, quem secuti sunt Naug. P. Manut. Car. Steph. cuius tamen cod. habebat *cursum*, ut reliqui scripti, editique, quos norim, et hoc cum Victorio, et Lambino praetulit etiam Cruquius. Colon. *quemcumque cursum fortunae caeperit.* Nihil inde possum vulgata melius elicere.

Secum ablaturum] Quum Graev. pronomen *se*, quod erat interiectum, suis volentibus MStis omiserit, reprehensus est ab Heumanno, quasi Tullius omittere non consueverit. Sed fallitur: vide ad c. 24. et quo tutius Graevium sequamur, Bavaricum quoque moneo id omittere, Barb. omnes Brit. et meum, meosque ante Naug. editos.

Desiderarit] Ut mox, *cupierit*, ubi prior Ven. *concupierit.* Male unus Britann. *desiderarat:* inde tamen septem alii mendosius, *desiderat*, quomodo Barb. et meus, Rom. et ambae Ven. et Aldus.

Si haec arma contra se sint futura] Bavar. Pith. cod. Lamb. Barber. sex Britann. et meus cum editis ante Naug. vocem *arma* non habent. Potuit *haec* dici δεικτικῶς, quum arma undique circumstarent. Haud tamen expungo.

Sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare] Supra c. 25. *non hoc iam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, — suspiciones perhorrescimus:* et c. 27. *nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet, nec tam sum demens — ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis.* Velleius itaque II. 47. *Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas:* vide reliqua. Aliter, atque hi loci postulant, dictum hoc miror a Manutio explicari, quem facile refutavit Ferratius VI. epist. 6. p. 410.

Siquidem nihil sit praestabilius viro] Heum. hunc locum ita refinxit: *se vero nihil in vita, nisi praeclarissime, fecisse; siquidem nihil sit praestabilius, quam periculis patriam liberare,* Nimirum, ne vox *viro* hic adesset, convertit in *vero*, deinde alteram huic ipsi sedem quaesivit in superioribus. Ipse tamen Heum. ad c. 29. quid *vir* significaret, admonuit, quum sic adhibetur, quod Abramius quoque fecit ad c. 27. et ad II. Philipp. 14. aliique passim. Fortitudinem hominis denotat. Apposite I. de offic. 19. *Fortes igitur, et magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam. Vera autem, et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria, iudicat.* Quamobrem ait Cicero, nihil forti viro esse praestabilius, quam periculis patriam liberare, quod iam inde a Tribunatu semper Clodii furoribus in remp. frangendis Milo fecit. Dativo in hac locutione usus est Cicero etiam in Vatin. 4. *utrum tandem putas huic civitati — melius fuisse, et praestabilius, me civem in hac civitate nasci, an te?* Terentius item Hecyra III. 1. 4. *cui quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium agere aetatem, quam huc redire?*

Nec tamen — sed tamen] Heumannum, et Ernestum haec offenderunt: ille itaque eiici vult, *sed tamen*, hic meliore iudicio *sed* retinet, *tamen* e superiore versu temere repetitum existimat. Hunc tamen ipsum optime refutavit Strothius, vir Latinis, Graecisque litteris admodum eruditus, ad Livium VII. 30. quem consule. Bis *tamen* una in periodo, diversimode quidem, sed pluribus locis Cicero posuit: ut pro Rab. Post. c. 1. *Sed tamen, si quis est, iudices, qui* etc. *ego eius opinioni non repugno: illud tamen deprecor,* etc. Wopkensium quoque de huiusmodi repetitionibus agentem vide I. Lect. Tull. 7. p. 36. quem docti viri aut propter emendandi cupiditatem, aut propter morosam parvis in rebus diligentiam inmerito solent contemnere.

Cuius gradibus etiam in caelum homines viderentur adscendere] Vulgo, *etiam homines in caelum videantur adscendere.* Ordinem sumpsi a MStis Lamb. Naug. et Hervag. quem optimum iudicavi. Unus praeterea Lamb. *adscendere videantur*, quod praeferre nolui. Quamquam vero *videantur* ea potest, quam enallagen vocant, sive consuetudo, sive licentia defendere, tamen praetuli *viderentur* cum Graevio, et Ernesto; tum quia iubent auctores idonei, Erfurt. et Bavar. quibus Britann. quatuor adcedunt; tum etiam quia cavendum arbitror, ne nimium habeat licentiae locus. Iam etenim sic ista omnia imperfecta ponuntur, quasi *addebat*, vel *dicebat* antecesserit. Heumann. legendum putabat *videremur*, idque ut obtineret, vocem *homines* eiiciebat, quam a melioribus MStis abesse confirmat, quum tamen ab eorum nemine, qui codices adhibuerunt, id proditum viderim. Ad hanc rationem superiora quoque ita emendanda fuerint: *qua brevitatem vitae posteritatis memoria consolaremur.* Sed nimium sibi vir doctus indulget. Abram. obportunum locum adtulit ex Parad. I. 2. *Quibus tandem gradibus Romulus escendit in caelum? iisne, quae isti bona adpellant? an rebus gestis, atque virtutibus?* Adde pro domo 28. *quibus tamquam gradibus mihi videor in caelum adscendisse.* Sed orationis huius caput ex philosophia depromptum illis verbis continetur inprimis, quae ex III. de rep. servata sunt a Lactantio V. Div. Inst. 19. *Vult plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces, quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe. Sed, si aut ingrati universi, aut invidi multi, aut inimici potentes suis virtutem praemiis spoliant, nae illa se tamen multis solatiis oblectat, maximeque suo decore se ipsam sustentat.* Hinc etiam supra c. 30. *si grata resp. esset, laetaretur, si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua niteretur.* Schola est celeberrima, se ipsa contentam esse virtutem.

A meis inimicis] Colon. *meis* recte praebuit, quia

loquitur Milo, eique Brit. unus adiungitur. Ceteri absurde *suis*, ex quo Lambinus emendabat *tuis*, h. e. Ciceronis: sed cur ita potius, quam *meis?* Mihi vero pronomina ab interpretibus profecta videntur. Est enim supervacuum etiam *meis*, praesertim quum sequatur statim *meae invidiae*, quod est rectum, et necessarium. Sic igitur legerim, *quum omnes ab inimicis faces invidiae meae subiiciantur:* ut supra c. 3. *quae et in Senatu ab inimicis saepe iactata sunt*, et c. 23. *quum sanguine inimici explesset odium suum.* Sensit hoc Lamb. qui in prima editione ita emendarit, *quum omnes a tuis inimicis faces invidiae mihi subiiciuntur.* Probavi ex eius altera, omnibusque ante Grut. editis, *invidiae meae*, quem ordinem codices mei comprobant: etiam *subiiciuntur* cum Heum. et Ernesto probassem, nisi omnes, quos norim, libri vetarent. Est enim utrumque rectum, etsi *quum* ad tempus pertinet. Ernesto saepe huiusmodi coniunctivos improbanti exempla nimis multa repugnant: vide Scheller. ad c. 4. pro Marc. p. 120. Heum. egregium attulit Livii locum, XL. 5. *Huius atrocitas facinoris novam velut flammam Regis invidiae adiecit.* Ex his orationibus tres notavi huic in metaphora adfines: supra c. 27. *qua invidia huic esset tali viro conflagrandum:* I. in Catil. 11. *tum te non intelligis invidiae incendio conflagraturum?* et pro Cluent. 29. *summam illi iudicio invidiam, infamiamque esse conflatam: atque in hanc flammam recentem C. Iunium, qui illi quaestioni praefuerat, iniectum esse.*

Gratiis agendis, et gratulationibus habendis] Gratias Miloni actas, gratulationes diis habitas, erudite Cruquius existimat. Consulendus est Graevius ad IV. in Catil. 10. et Gifanius in Observ. L. L. p. 208. Sed ipse Cicero audiendus, cui post Caesaris necem Mutinensis belli tempore simile quiddam contigit: de quo ita gloriatur ad Brutum scribens epist. 3. *Nihil est in me inane; neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque me*

commovet. Haec autem ita enucleantur XIV. Philipp. 5. *nam sive in communi gaudio populi Romani uni gratulabantur, magnum iudicium: sive gratias agebant, eo maius: sive utrumque, nihil magnificentius excogitari potest.* Ex his igitur potius ad unum Milonem referri utrumque colligas.

Et, opinor, altera: qua fines imperii P. R. sunt, non solum) Habent diserte, ut dedimus, aliquot Lamb. et Grut. codices, tres Brit. et meus, ed. Wald. et prior Veneta. *Opinor* sine *ut* habent Saxon. Erfurt. Pith. primus Franc. Paris. Regii, Barb. praeterea, duo Brit. et Rom. sec. Ven. Ald. et Hervag. Quod vero vocem *ea* detraxi, quae in Bavar. est, paucisque aliis aeque praestantibus, ut antecedenti *qua* sit quod respondeat, multis auctoribus ita feci, ut consensum librorum omnium, qui ante Grut. inspecti fuerunt, aut editi, omniumque Britann. ad consilium, rationemque retulerim. Livius quidem utroque modo, sed alia notione: vide Drak. ad VI. 24. Hoc autem sensu non solum recte, verum etiam melius *qua* ponitur, meo quidem iudicio, absolute: idemque viri doctissimi Pontederae Antiq. epist. XXXV. p. 320. iudicium fuit. Horat. IV. Carm. 14. 5. *O, qua Sol habitabiles Inlustrat oras, maxime principum,* quem locum recte Grut. adtulit. Livius XLV. 9. *omnia, qua Persarum prope inmenso spatio imperium fuerat, suae ditionis fecit.* Verburg. et Olivet. *ultra, quam,* ut Naug. aliique pauci: quod non probo. Primum enim patet, ab iis, qui nostram lectionem non intelligebant, id esse profectum, ut solent planiora substitui: meliores autem codices, plurimique satis indicant, ex *altera, qua* in deterioribus *ultra quam* exstitisse. Neque vero tutum est perpaucis cum Lamb. et Heum. adhaerere, qui habent, *altera, ultra, quam,* tum quia loci emendatione contacti similiter interpolati remanserunt, tum quia in tanta imperii magnitudine, si dierum numerum spectes, vocem *ultra,* ut non damnes, certe non requiras. Denique tam

ea non est Tulliana Latinitas, ut Manutium coniicere oportuerit, *ultra fines imperii P. R. non solum* etc. Contra vox *altera* necessaria est, quam Tullii verba postulant c. 22. de servis Clodii ab Appio retentis: *hi centum dies penes accusatorem quum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt.* Hi autem certe serius produci non potuerunt, quam pridie eius diei, quo Cicero peroravit. Confer omnino Pontederam l. c. p. 321.

CAP. XXXVI. *Quum isto animo es*] Graev. *quum* pro vulgato *quod* ex Erfurt. restituit, cui cod. Lamb. et Bavar. optimi, etiam duo Britann. Barb. et meus, prior denique Ven. plane consentiunt: cum Pithoeano autem *quod cum* habent quinque alii Britann. Graevii iudicium sine causa damnat Heumannus, et *quod* praetulerunt etiam Verb. et Olivet. Iustiores elegantiae iudices dabo, Passerat. ad Propert. II. 18. 15. et Gronov. ad Liv. XXXIX. 12. qui optimis docent exemplis, *quum* ita poni pro *quod,* et *quoniam.* Lallem. et Ernest. merito Graevio paruerunt. Cicero de senect. c. 19. *at est eo meliore conditione, quam adolescens, quum id, quod ille sperat, hic iam consecutus est:* ubi coniiciebat Lamb. *quod id, quod*; unde patet, cur hic suos MStos ille contempserit. Plautus Mostell. I. 3. 12. *Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tota es:* ubi male Dousa *quam* emendabat, Lamb. recte *quando* explicavit. Postremo in Afranii loco, quem ad c. 35. Abramius adtulit, non *quod* est, ut ille posuit Nonii p. 116. corruptum codicem secutus, sed *quom*: ita enim locum integrum protulit Priscianus p. 804. *Sexte frater mi, salve: quom salvos venis, meliusque tibi est, gratulor diis.*

Reliqua est illa tamen ad consolandum querela] Habent *saltem* omnes inde a Grut. ex Colon. et Saxon. quibus Britann. duo adsentiuntur, quum neutrum in alio sit, uno excepto Heumanno, cuius iudicium omnes alii libri tuentur, quorum agmen ab Erfurt. ducitur, et Bavarico. Lamb. ipse discessit a Saxonico, quia sci-

licet *saltem* ab interprete profectum sensit, et ita recte positum *tamen* intellexit, ut desiderare interpretem videretur. Complures exstant similes Ciceronis loci: nonnullos dedit Heusing. ad c. 36. pro Sext. Roscio, ubi, *quod paullo tamen occultior, atque tectior vestra ista cupiditas esset*, legitur in Rom. utraque Ven. Ald. Naug. Hervag. Manut. et Car. Steph. Omissum primo vidi *tamen* apud Gryph. MDL. Idem adcidit etiam I. Philipp. 4. *ut, si quid mihi humanitus adcidisset — huius tamen dici vocem testem reip. relinquerem* etc. ubi *tamen*, quod apud Gellium quoque XIII. 1. librarii omiserunt, optime restituit Vatic. et duo Lamb. codices. Etiam pro Quinct. 15. *alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat: hoc tamen in miseriis adiumento, et solatio sublevatur:* et pro Sextio 29. *qui superiore anno Senatu caruisset, quo si tum veniret, me tamen socium suorum in rep. consiliorum videre posset.* Cruquius pro *querela* in ed. Lovaniensi MDXXXVI. vidit *medela*, quod ego nullibi reperi.

Si in me aliquid offendistis] Sive passivam significationem hic velis, ut Manutius ad h. l. et ad V. epist. 14. tradidit, sive activam, quae multo subtilius exponitur a Menckenio in observ. L. L. p. 688. certe non haec locutio excidit perturbato, ut censet Heum. sed eam subiecit usus eleganter loquentium. Exempla pervulgata sunt, etiam hic adnotata, et ad I. in Verr. 25. nos quoque aliquid contulimus. Arusianus haec habet, quae in cod. Mediol. suo loco desunt: *Offendi apud vos.* Cicero pro Cornelio: *Quid* (l. *qui*) *me apud equites Romanos offendisse dicebant* (locus est similis apud Graev.) *Offendisti in me.* Cicero pro Milone: *Quae si vos oblivio cepit, aut si in me aliquid offendistis, cur non in meo capite luitur potius, quam Milonis?* Ordinis varietates insunt duae: mendum autem *in* pro *id.* Cod. Barb. a manu secunda, et margo mei cod. *aut si meum aliquid vos offendit:* quae ve-

tus est interpretatio. *Cepit* recte invexit Aldus: erat enim antea, *ceperit*, ut in sex Britann.

Bona, fortunas meas] Millies *bona*, et *fortunae* iunguntur: tamen *bona* pro glossemate hic habet Heum. idque facile adparere dicit. Mihi vero non adparet, neque intelligo, cur ea non sit huius loci coniunctio, aut cur minus, quam I. in Verr. 44. ubi haec leguntur: *Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis Praetor adimere, nobis mortuis, bona, fortunasque poterit?* Quomodo *bona* cum filiis vivi partimur, ita etiam cum amicis, quum casus eorum sustentamus.

Si qua dimicatio capitis futura] Ita de P. C. 9. *qui me amor* (patriae) *et subvenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis, et rursum, quum omnia tela undique esse intenta in patriam viderem, subire coegit, atque excipere unum pro universis:* item pro Balbo 9. *qui saepe se telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit.* Hos recte locos ad hanc lectionem defendendam produxit Heumannus: quam firmat inprimis Bavaricus cum plerisque. Saxon. et Erfurt. *diminutio capitis*, quod, quum Lamb. ipse improbasset, Graev. adripuit, eique sunt obsecuti Verb. Olivet. Ernestus. Sed Lallem. qui in uno etiam ex Regiis codicibus *diminutio* esse vidit, secutus est alios item Regios nobiscum facientes. Codices vero Car. Steph. Barb. tres Britann. et meus, et prior Ven. *si qua dimicatio, deposco*, quomodo in Memmianis Lambinus invenit, idque non est profecto aspernandum. Ego praetuli, quod tutius existimavi. Bavar. Barb. quatuor Brit. et meus, *si quae:* sed vide ad c. 7.

Quid habeo, quod faciam — nisi ut etc.] Abieci, *quod dicam*, optimis MStis auctoribus, Fabricii duobus, Erfurt. et Bavar. quibus adstipulantur Barb. duo Britann. et editiones Rom. et sec. Veneta: de factis enim loquitur, non de dictis. Lamb. iampridem abiecerat: sed, nescio quomodo, mendum reliquit MStorum, quos sequebatur, *quid habeo? quid faciam pro*

tuis etc. Sustuli ego, duce potissimum Erfurtensi: sed *quod faciam* est etiam in vulgatis omnibus iam inde a Naugerio: facile autem intelligitur, in ipsis libris egregiis permutationem frequentissimam contigisse. Heum. *quid habeo*, eiicere maluit, quod nullo in codice deest, retinuitque, *quod dicam.* Cur non potius utrumque proiecit, ut nitidius ita fieret, *quid iam restat, quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut* etc. Pro Planc. 42. *quid enim possum aliud, nisi maerere? nisi flere? nisi te cum mea salute complecti:* pro Sext. 69. *ego vero vos in omni fortuna, quaecumque erit oblata, complectar.*

Occasura esse videatis] H. est, intelligatis, vobisque persuadeatis. Bavar. et duo Brit. cum melioribus ita exhibent: unde in plerisque mendum insederat, *iubeatis.* Heum. *credatis.*

Cap. XXXVII. *Est quodam incredibili robore animi*] In veteres ante Lamb. editos inrepserat, *robore animi septus:* unam vidi priorem Venetam ex Waldarferiana ductam, quae hoc additamento careat, quod primus optime refutavit Victorius XXI. V. L. 15. quum diceret, se in pluribus, quos viderit, scriptis libris id verbum non invenisse, atque ita locutionem sine illo consistere, ut pro Caelio 17. *Si quis, iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiae fuit,* et pro Cluent. 5. *tametsi in hunc hostili odio, et crudelitate est.* Quo loco, ut id obiter moneam, aliud est deturbandum additamentum, *nominis causa,* quo nihil ineptius: idque viro sagacissimo iam Ernesto suboluit. Sic enim declamator vetus, quem Quinctilianum esse autumant, ed. Pith. n. 388. Burm. p. 790. *mater enim a me, tametsi* etc. *mater, inquam, adpellabitur.* Imperite *septus* additur etiam in uno Brit. in reliquis, quos novi, nihil eiusmodi. Nam profecto non homo robore animi saepitur, sed ipse animus aliquibus tamquam praesidiis, et vallis: ut Parad. IV. *sapientis animus virtutibus omnibus, ut moeni-*

bus, saeptus. Sic apte inserebatur Parad. II. *animus, qui tot virtutum praesidio, tantoque comitatu saeptus, quum corpus eius caperetur, capi certe ipse non potuit.* Sed ibi quoque adiectitium fuisse, codices docuerunt.

Mortem naturae finem] Inter declamatorum ineptias haec exstat apud Senecam Suasoria VII. *Ubi est sacra illa vox tua? Mori,* (vel *mors*) *naturae finis est, non poena. Hoc tibi uni non liquet? at videris Antonio persuasisse.*

Sit hic ea mente, qua natus est] Planissima haec lectio iam inde ab ed. principe nobis tradita est: quam idcirco retinui, quia Grut. et Graev. libris, quod habuere, melioribus comprobantibus, retinuisse videntur. Supra c. 25. *is, qui ita natus est, et ita consuevit.* Neque infirma tamen, aut durior Lambiniana est, *Sed hic ea mente natus est,* quam ex suis duobus protulit Fabric. quam libri haud pauci confirmant perperam exhibentes, *Sed hic ea mente ornatus est,* quomodo cum Palatinis etiam cod. C. Steph. Barb. quatuor Britann. meus, prior Ven. et Nauger. Tertiam obferunt denique Bavar. et alii quatuor Britann. *Sed hic ea mente, qua natus, est.* Haec vero maxime consideranda. Sic enim ex duabus illis conflata est, ut eo solo argumento ignotam divinarit Heumannus. Quin potius talis facile videatur, ut quum sit durior, et ab usu remotior, duas illas pepererit pro vario non intelligentium, et emendantium ingenio. Graecum habet nonnihil: nam sic participia Graece adhibentur. Cicero autem verbum semel positum iterandum relinquere non recusat. III. in Verr. 90. *An, quum eos non poteris* (proferre), *proferes hos recentes* etc. IV. in eumd. 24. *etiam quum aliquid de privato nonnumquam* (auferebant), *occulte auferebant:* pro Rabirio Post. 12. *At si verum tum, quum verissima fronte, dixerunt:* ubi Hottom. et Lamb. ellipsin non ferentes, *At si verum dixerunt tum:* coniecere. XIV. Philipp. 10. *cui quum imperium* (de-

ferebamus), *eodem tempore etiam spem eius nominis deferebamus:* ita MSti Ferrarii, et Faerni, quos sequor: nam vulgo additum *dabamus* est ab interprete, quem ellipsis ipsa invitabat. Plinius quoque Paneg. XXXIII. 4. ex MStis praestantibus eleganter, *quumque se idem, quod deos* (putaret), *idem gladiatores, quod se putabat.* Vide ibi Schwarzium.

Expelletur? exterminabitur? proiicietur?] Alii, *eiicietur?* Tria verba Cicero vehementiae causa hic adcumulat, more de Graecis accepto. Sic Demosthenes, sive Hyperides in Aristogit. p. 842. Wolf. 798. Reisk. *ἐξορίσαι, ῥίψαι ἐκ τῆς πόλεως, ἀνελεῖν.* Primum illud ἐξορίσαι a Tulliano *exterminabitur* nihil differt. Gravissimum ibi est *ἀνελεῖν.* Cicero eodem sensu, sed minore aculeo, pro Font. 7. *quem quisque odisset, ut eum testimonio posset tollere.* *Ῥίψαι ἐκ τῆς πόλεως* libenter interpretarer, *praecipitem ex civitate proturbare* (vide ad c. 30. pro Sext.), vel *praecipitem eiicere,* ut ibid. c. 4. Herodoteum autem illud, *ῥίψαι μιν ἐς τὴν θάλασσαν ἑαυτὸν,* I. 24. cui similia sunt apud alios, veluti apud Demosth. in Zenoth. p. 929. Wolf. 883. Reisk. ita convertit Gellius XVI. 19. *eiecit sese procul in profundum,* ut quidem vidi in ed. Mosellani, et apud Steph. in Thes. L. G. sed in utroque cod. Barb. et in bonis edd. est *iecit,* ut pro Sext. 20. *iecissem me ipse potius in profundum.* Utrumque rectum: illud vero necessarium II. Tuscul. 27. *eiice te de navi; praesto est, qui excipiat, vel delphinus, ut Arionem Methymnaeum,* etc. de quo ibi Herodotus. Sed verbo *ῥίπτω* quin etiam *proiicio* respondeat, ut in Labbaei glossis p. 147. nemo negabit. Caesar IV. B. G. 25. *ex navi se proiecit.* Quum vero *expelletur* hic adsit, in extremo *proiicietur* malui, quod a Lamb. et Grut. ex optimis MStis adductum firmant Bavar. Steph. Barb. omnes Brit. et meus, editumque olim in Rom. et sec. Ven. conspexi. Mihi etenim videtur propius ad illam Graecae orationis acerbitatem adcedere, quam Tacitus I.

Annal. 3. IV. 71. imitabatur. Deinde *tantam virtutem proiicere*, Graecis remotis, maximum indicat rei praestantissimae contemptum: ut pro Rab. Post. 12. *neque ego, cui omnium civium libertas carissima fuisset, proiecissem meam*; et apud Caes. II. B. G. 15. *patriam virtutem proiicere.* Vide Servium ad XI. Aen. 360. Sic etiam tamen ἀποῤῥίπτειν.

O me miserum, o me infelicem] Ita Rom. utraque Ven. Ald. Hervag. et Gryph. ita cod. Erfurt. et Quinctil. VI. 1. p. 506. qui haec iterum proferens XI. 3. p. 1058. habet fortasse melius, *Me miserum, me infelicem!* etiam in cod. Barb. Alterum *me* alieno loco legitur in Pith. in meo, in duobus Britann. et in ed. Naug. *O me me miserum, o infelicem!* Cod. Barb. *O me miserum, infelicem!* At Bavar. id confirmat, quod est pervulgatius, *O me miserum, o infelicem!* atque ita Lamb. Grut. Heum. Olivet. Ernestus. Pro Sulla 32. *O miserum, et infelicem illum diem*, etc.

Me ne non potuisse] Adieci *ne*, quod optime adest, ex tribus MStis egregiis, Hittorp. Werdensi, et Bavarico.

Quae est grata gentibus] Videri potest excidisse, *omnibus.* Supra c. 28. *Nunc enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum T. Annium — maxima laetitia populum Rom. cunctam Italiam, nationes omnes adfecisse, et dicat, et sentiat?* et c. 35. *de me, inquit* (Milo), *semper populus Rom. semper omnes gentes loquentur — omnibus in terris et iam versatur, et semper habitabit nominis mei gloria.* Est autem *grata* plus, quam *probata* factumque respicit, de quo disceptatur.

Quodnam ego concepi tantum scelus] Additum *ego* a Lamb. fuit ex suis codicibus, deinde a Grut. et Graev. tacite receptum. Exstat etiam in Bavar. et in tribus Britann. Pro Sex. 69. *Quod tantum est in me scelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, quum ad vos indicia, litteras, confessiones communis exitii detuli?*

Exstinxi] Haesit Abramius in hoc verbo, quod referri ad *indicia* non posse videbat. Sed ex indiciis res indicatae sumuntur, et nunc omnibus compertum est, ab optimis quibusque scriptoribus talia intelligenda, et subplenda relinqui. Exemplorum apud Latinos inmensum esse numerum is, qui de Graecis similibus egit copiose, adfirmat Dorvillius ad Chariton. p. 397. Sabellicus autem T. I. Facis Grut. p. 185. tautologiam veritus in verbis, *patefeci*, *protuli*, emendabat, *patefeci*, *propuli*. Sed hunc tuetur similis pro Flacco locus c. 2. *repetitur ad poenam, qui indicia communis exitii excepit: cur sibi confidat is, qui ea proferenda, et patefacienda curavit?* Quinctilianus IX. 3. p. 812. fragmentum Ciceronis profert huiusmodi: *Quaero ab inimicis, sintne haec investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, exstincta per me.* Ita recte Burmannus: nam viri doctissimi Gesnerus, et Spaldingius, nescio quomodo, mendosis ex libris pro *deleta* ediderunt *delata*. Fabius ipse tria illa posteriora similia notavit esse inter se: neque iuvat illud Sextianae, *indicia detuli:* fuisset enim ordo alius, *patefacta, delata, sublata*, ac ne ita quidem quidquam melius. Burmannum, a quo cod. Barb. non dissentit, secutus est Capperonnerius, nulla varietate adnotata.

Redundant ex fonte illo dolores] Hic ordo per Gruterum invaluit, omnium silentio. Quum ita sit in Bavarico, in aliis idem inventum existimari debet. Erat enim antea, *ex illo fonte dolores*, Lambino tamen excepto, qui hexametri clausulam tollere consueverat. Is parvo discrimine in utraque ed. *e fonte illo.*

Expellerentur ii] Restitutum est pronomen *ii*, quod primum omissum in Gronoviana vidi: quamquam deest in tribus Britann. et in priore Ven. ante verbum conlocatur. Sed ab aliis non abest, neque a Bavar. a Barb. a meo, neque ab ipsa ed. Gruteri, unde tacite sumpsit Ernestus, retinuit etiam Heumannus.

Nolite, obsecro vos, pati] Haec in Bavar. ita leguntur: *Nolite, obsecro vos, acerbiorem mihi pati reditum esse:* et recte: siquidem longe duriorem synchysin habemus II. de Orat. 11. *quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se pati vinci non posse.* In hanc vero sententiam acriter pro Sext. 69. *multo mihi, multo, inquam, iudices, praestat in eamdem illam recidere fortunam, quam tantam importare meis defensoribus, et conservatoribus calamitatem.*

Si distrahor] Lamb. ex duobus Fabric. et tacite inde Graev. *si distrahar:* sic tamen etiam in Erfurt. fuisse suspicor, quum idem in Bavar. esse video. Sed vulgatam praefero. Ernestus, si *distrahar* fuerit, sequi debuisse putat, *per quos restitutus sim.* Ego malim antecessisse *possim.* Sic l. c. Sextianae: *An ego in hac urbe esse possim, pulsis iis, qui me huius urbis compotem fecerunt?*

Cap. XXXVIII. *Utinam P. Clodius non modo viveret*] Quum parenthesis intercedat, mutata syntaxis est: quae res et celebratur exemplis, et huiusmodi perorationi perapta est. Vide Graev. ad V. in Verr. 26. Grammatici tamen inventi sunt, qui locum ad praecepta revocarent, quod facillimum fuit, *ut* pro repetito hoc *utinam* posito. Ita in priore Ven. Ald. Naug. et in ipsius Lamb. prima editum videmus, *Utinam dii immortales fecissent (pace tua,* etc.) *ut P. Clodius non modo viveret,* etc. quod Heum. longo intervallo retulit, Romanorum formulam continuari iudicans oportere, de qua Brisson. I. 122. eamque a Graevio pessumdatam clamans. Sed optimi codices noluisse ipsum Tullium grammatice loqui suadent, quod si fecisset, nemo facile repugnasset, nemo *utinam* iterasset. Lamb. igitur e Fabricianis recepit hoc postea, Grut. deinde, et Graev. ex aliis, quod iamdudum editum fuerat in Rom. et altera Veneta. Nunc a Bavar. Barb. septem Britann. et meo firmatur.

Potius, quam] Ita cum Saxon. et Erfurt. habet Bavar. ut legi oportere iam monuit Ernest. non *ante, quam.* Neque aliter in Britann. omnibus inventum esse, Oxoniensium silentium existimare iubet.

Minime, minime, inquit] Britann. tres, prior Ven. et repetitiones Lambinianae *minime* semel ponunt contra optimorum, et plurimorum fidem.

Aut, si forte, pro patria] Tollit hoc totum Heum. tamquam glossema certissimum. Ad voces, inquit, *in patria*, adscripsit aliquis, *an forte, pro patria;* eaque coniectura subrepsit. Si Muretus hoc cogitasset, non dubitaturum fuisse virum summum existimat, quin essent verba haec eiicienda. Si hominem Muretus audiret, risum non teneret, opinor. Liceat sane adiectitia illa censere, quae ratio, quae Latinitas, quae Ciceronis elegantia repudiat. Quorum quidnam hic simile? immo vero quid uspiam rectius, et elegantius? Graecam locutionem, *εἰ τύχοι*, per verba, *si forte*, expressam vidit Muretus XVI. V. L. 9. verissime: neque hic solum, sed etiam I. ad Q. fratr. 2. et III. de Orat. 12. quos locos adnotarat etiam Turnebus XXVII. Advers. 1. Iam quis aut in sensu haereat, aut in locutione? Milo, qui patriae iuvandae natus est, nullo alio loco, nisi in patria, aut, si fors ita tulerit, si extra patriam, gloriose pro patria mori debet. Quam praeclare magnificae istius laudis iniecta mentio, quae viro fortissimo, si in republica, imperiisque manserit, poterat, ut Marcello, Scipionibusque, contingere? Muretum igitur merito secuti sunt Pareus in Lexici critici mantissa p. 116. Schwarzius ad Tursell. p. 799. ed. Patav. in miscell. etiam Amstelod. vol. IX. p. 51. Wopkensius, qui Sulpicium Severum hoc esse imitatum docet V. Epist. 30. cui Tertullianum addo de pallio c. 2. *ab Assyriis, si forte, aevi historiae patescunt*, et scriptorem haud inelegantem passionis SS. Perpetuae, et Felicit. ab Holstenio editae p. 29. *si forte, gaudio paventes, non timore.* Explicat hanc alia formula, *si*

fors tulit, apud Muret. ipsum, de qua videndus Heinsius ad Ovid. I. Metam. 297. Habemus denique alia similiter ἐλλειπτικῶς posita: ut, *si umquam, si nihil aliud*, de quo Burmann. ad Quinctil. I. Declam. 9. ut, *si quando*, de quo idem ad Valer. Flacc. V. 474. ubi duobus e MStis eam formulam restituebat Tullio III. Tuscul. 7. *in quemque ea cadunt* (sic etiam duo Britann. nam Barb. et plerique cum Davisio, *quae in quem cadunt*, aeque recte) *in eumdem cadit, ut serviat, ut victum, si quando, se esse* (praefero ex MStis Lamb. *esse se) fateatur*: quod et antea Pareus l. c. p. 117. ex aliis codicibus, Lambini fortasse, restituendum censuerat, et ab se receptum Davisius insignis illius Regis codicis testimonio munivit, et firmant denique duo Brit. et Barberinus. Nihil enim aliud, nisi mera glossemata, esse videntur, tum *aliquando*, quod a Lamb. et Buherio praeferebatur, exstatque in ed. quoque Rom. 1469. tum *quandoque*, in quo Heusing. haerebat observ. antib. p. 427. retinuitque tamen Ernestus, ne varietate quidem adnotata. Magna vero eius loci cum hoc in diversa formula cognatio est. Singularis est alia III. de N. D. 1. ellipsis, quae omnium tamen videtur mihi planissima. *Spero enim te, ut soles, bene paratum venire. Tum Cotta, si mehercule, inquit, Vellei: neque enim par mihi ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit.* Alii aliter emendant: Buher. lenissime, *sim mehercule*, quod recepit Ernestus. Unus abstinuit emendatione Wopkensius II. lect. Tull. 1. p. 122. sed rationem formulae, meo iudicio, non expedivit. Quid porro simplicius, quam, *Si mehercules*, nempe, si me Hercules iuverit? ita rei difficultas exprimitur, cuius causa subiicitur: et *si* ponitur in responsione, ut ad c. 18. supra observavimus.

Neque enim prae lacrymis iam loqui possum] Quinctil. XI. 3. p. 1038. *Illa quoque mire facit in peroratione velut deficientis dolore, et fatigatione confessio, ut pro eodem Milone: Sed* etc. Is vocullam *iam*

cum plerisque retinet, quam Rom. sec. Ven. et Ald. male omittunt.

Et fortissimum quemque delegit] Desiderabatur sane, *et fortissimum*, quod Grut. ex quinque MStis adiecit, quibus tres Brit. adcedunt. Nam, ut optimus ad *fidem*, sapientissimus ad *iustitiam* refertur, ita debuit esse *fortissimus*, qui ad *virtutem* referri possit. Haec tria etiam c. 2. postulata fuerunt, *ut aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur.* Tum c. 8. *vos fortiter iudicaturos:* quo ex loco perspicitur, quam in his iudicibus fortitudinem Cicero expeteret, et a Pompeio spectatam diceret. Sic vero saepe, ut I. in Verr. 1. *si fortes fueritis in eo*, etc. Denique, ut hic *optimum, et fortissimum*, ita c. 2. *fortes, et bonos:* cuius apud Tullium coniunctionis frequentiam docuit Pareus Lex. crit. p. 499. et in mantissa p. 35. Quod vulgato *legit* praetuli *delegit*, maiorem partem eorum codicum secutus feci, qui h. l. integri sunt: sic etenim tres Grut. totidemque Brit. ii scilicet ipsi, qui cum Gruterianis in additione quoque consentiunt; quum etiam inter quarti lineas id adscribatur. Deinde quod *elegit* in cod. Lamb. in Hittorp. et Bavar. a *delegit* profectum puto. Postremo quia sic variatur etiam c. 8. *in iudicibus legendis*, et *delegit ipsa lumina.*

M. ANT. FERRATII EXCURSUS
AD MILONIANAM.

Cap. I. *ne non timere quidem* cet.] Cfr. Ferratii Epist. L. 6. Ep. 3. p. 387. ubi inter alia non satis accurate haec dicit: „Non praesidia circa forum a Cn. Pompeio collocata timebat Orator, quae salutaria sibi et necessaria esse fatetur, sed Clodianos, ne quid auderent.“ Cet. contra Ciceronis mentem.

Cap. V. *nisi vero ille dies*] Cfr. Epp. L. I. Ep. 12. p. 50. Nihil hic novi docet: veram tamen lectionem sequitur.

Cap. VIII. *quam contemneres*] Cfr. Epp. L. 3. Ep. 6. p. 173. Allatis Asconii verbis, in quibus, quemadmodum Garatonius Ferratium h. l. non laudans, pro *Cn. Manlius* legit *C. Manilius*, ita pergit: Ne quem in posterum tanti viri auctoritas fallat, quatuor praestabo: ostendam 1) quaenam esset lex ista de Libertinis; 2) quo anno eam tulerit Manilius; 3) non fuisse tunc temporis Praetorem L. Domitium: 4) quomodo sit emendandus Asconius.

Quum Libertini in quatuor urbanis tribubus censerentur, in iisque suffragium ferrent, ex veteri instituto; a. u. c. 666. P. Sulpicius Trib. pl. L. Sulla, Q. Pompeio Coss. legem tulit, *ut novi cives, libertinique distribuerentur in omnes tribus*, etiam rusticas, ne in suffragiis ferendis distinguerentur ab ingenuis. Cfr. *Or.*

pro Cornelio: quae lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset; additque Asconius: *P. Sulpicium in tribunatu hanc eandem legem tulisse significavimus: tulit autem L. Sulla, Q. Pompeio Coss.* Victor deinde Sulla, antequam in Asiam proficisceretur contra Mithridatem, non ex Asia *in Italiam reversus*, ut scribit Sex. Aurelius Victor, Mario seniore pulso, et interfecto Sulpicio, omnes Sulpicii leges abrogavit; proindeque et illam de Libertinis, de quibus nihil aliud tentatum est per annos duos et viginti, usque ad C. Manilium. Qui a. u. c. 687. Pisone et Glabrione Coss. Tribunus pl. creatus, statim inito magistratu IV. Id. Decemb. eandem legem promulgavit, quae, fortissime obstante Senatu, perferri non potuit. Asconius ibidem: *Manilius, sicut iam ostendimus, post pauculos statim dies, quam inierat Tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit*; paullo post: *quae cum S. C. damnata esset, ab ipso quoque Manilio abiecta est.* Idem narrat Dio. L. 36. neque obest, fuisse Manilium Tribunum pl. anno sequenti 688. Cicerone praetore, quum de praeficiendo Pompeio bello Mithridatico ageretur; nam mense Decembri, post initum a Tribunis pl. magistratum, lex illa de libertinis statim lata est; de Pompeio autem post aliquot menses, quum novi Consules Lepidus et Volcatius iam et ipsi magistratum iniissent.

At L. Domitius praetor non fuit, Pisone et Glabrione Coss. Cur enim biennio interiecto, non petiit Consulatum cum L. Caesare et C. Figulo? Cur elapsis duodecim annis, tum demum petiit? quippe ex Plutarcho patet, anno 699. competitoribus Pompeio et Crasso, qui petebant iterum eundem magistratum, consularem candidatum fuisse L. Domitium. Suetonius in Caesare: *functus consulatu, C. Memmio, Lucioque Domitio praetoribus de superioris anni actis referentibus, cognitionem Senatui detulit,* Caesar nimirum, antequam iret in provinciam quum essent Con-

sules Piso et Gabinius (a. u. c. 696.) quo anno pulsus est in exilium Cicero, qui Ep. 15. Lib. 3. ad Atticum, quum iam exularet, haec habet: *Quid igitur Domitius se dixit relaturum?* quum neque Consul esset Domitius, neque Tribunus pl. referre tamen ad Senatum posset, sequitur, eum fuisse Praetorem anno post Caesaris consulatum scil. 696. Quid igitur de Asconii testimonio sentiendum est? an foede lapsum virum eruditum dicamus? nequaquam, sed illius verba non carere mendo suspicor, et ita corrigo: *Constantiam L. Domitii, quam in Quaestura praestitit, significat.* Est enim verisimile, quum Manilius legem de Libertinis ferret, fuisse Quaestorem Domitium, unum ac triginta annos natum, qui post novem annorum intervallum praeturam gessit; et de quaestore potius, quam de praetore illud a Cicerone dictum videtur: *dederas enim — iam ab adolescentia documenta maxima:* quamvis re ipsa aliquando praetorii etiam viri vocari solerent adolescentes. — [Vides iam in eadem fere ante Garatonium incidisse Ferratium.]

Cap. IX. *P. Clodius quum statuisset —*] v. Epp. L. 3. Ep. 5. p. 170.

Ibid. *non solum sermonibus*] v. Epp. L. 3. Ep. 4. p. 160.

Cap. X. *Graecis comitibus*] Cfr. Epp. L. 5. Ep. 3. p. 314. per quos non tam eruditos, quam assentatores et libidinum ministros intelligit.

Cap. XIV. *haec intentata nobis est*] Cfr. Epp. L. 5. Ep. 8. p. 345.

Cap. XXII. *quia videbatur indignum esse*] Cfr. Epp. L. 6. Ep. 3. p. 387. ubi miro errore semper legit *domini morte ipsa tristius.* Inter alia haec habet: Ceterum non arbitror ulla lege cautum fuisse, ne de servis quaestio haberetur in dominum, sed tantum ex instituto maiorum illam consuetudinem invaluisse, contra quam facere aliquando praetor et iudices poterant. nam Oratione pro P. Sulla: *Quaestiones nobis servo-*

rum ac tormenta accusator minitatur; in quibus quamquam nil periculi suspicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor. Cet.

[Haec ubi consideres, eo magis insititium iudicabis *lege*, in plerisque omissum. Cfr. tamen omnino Heineccii *Antiqq. Rom. Syntagma ed. Haubold.* Lib. IV. Tit. 18, 25. p. 761.]

Cap. XXIV. *nemo audierat — tamen audiebatur*] „Non ignorabat Pompeius, id falso nuntiari audiebat tamen, quasi crederet." Epp. L. 6. Ep. 6. p. 410.

Cap. XXVI. *qui vel iudicia ipsa tolleret*] v. Epp. L. 6. Ep. 9. p. 428.

Cap. XXXV. *facinoris suspicionem*] v. Epp. L. 6. Ep. 6. p. 410. „Facti crimen, hoc est caedem ipsam parum sibi obfuturam in iudicio videbat, quod P. Clodium turbulentum civem, et perditum, nemo non omni supplicio dignum putaret; at insidiarum (Pompeio factarum) suspicionem et invidiam evitandam esse arbitrabatur, quod universa resp. in unius Pompeii potestate tum erat."

Cap. XXXVI. *Sed iisdem audientibus* cet.] v. Epp. L. 4. Ep. 6. p. 260.

Incredibile paene est, quot quantique errores in variorum adnotationes a Graevio Tullianis orationibus subiectos irrepserint, eam ob causam, quod is non primas ac sinceras cuiusque commentarii editiones secutus est, sed sequentem collectionem quam plurimis iam mendis inquinatam: *In omnes M. T. Ciceronis Orationes selecta commentaria, notae, scholia et annotationes virorum doctissimorum Italiae, Galliae et Germaniae cura conscripta. Coloniae Agrippinae sumptibus Antonii Hierat* 1621. 3 Vol. 8. repetit. ibid. 1655. Hinc factum est, ut posteriores quoque critici, uno Graevii libro usi haud leves in errores nulla sua culpa inciderent, quemadmodum per hanc ipsam orationem omnibus accidit in referendis lectionibus a FRANC. FABRICIO e Codd. primum prolatis. Multum igitur debent lectores liberalitati Viri doctissimi, GUILIELMI HENRICI BARDILI, Diaconi Eccl. Uracensis, qui necessarias istas emendationes, absoluta fere hac nostra editione, benigne mecum communicavit. Index libri hic est: *M. Tullii Ciceronis de provinciis consularibus et pro Milone orationes optimorum librorum collatione diligenter emendatae, cum argumentis Franc. Fabricii Marcodurani. Dusseldorfii excudebant Ioannes Oridryus et Albertus Buysius affines. Anno* 1569. 8. In verbis Tullianis sequitur recensionem Lambinianam anni 1566. Orationem de provinciis consularibus nullae comitantur adnotationes.

EMENDATIONES
EDITIONIS GRAEVIANAE.

Cap. I. *inciderunt* legendum assentiente altero exemplari manuscripto satis bono. — (Codex iste, uti colligitur e Fabricii adnotatione ad *Offic.* I. 1. p. 6. ed. Graevii 1688. et ad *Tusculan.* I, 1. erat Coloniensis, Tusculanas, libros de Officiis, orationesque aliquot, in his Catilinarias ac Milonianam complectens.

non afferunt tamen (non: *tam*) *oratori aliquid* habet vetus liber. Statim: *cederem* (non: *eisdem*) *temporibus* — *fori pars* (non: *pars fori*) habet uterque liber.

Cap. III. *non sine causa etiam* (non: *et iam*) Vetustus Fabric. — *defenderet* habet uterque liber, non Saxonicus dumtaxat.

Cap. IV. *quae potest afferri iniusta nex*] *Inferri* lege (non: lego) ex vetusto nostro. Nam sic quoque legitur in antiquis libris Prisciani omnibus Lib. 6. (non: in antiquis libris passim omnibus lib. 6. Caes.)

Cap. X. In edd. Lambini est: *vulgo magno et impedimento* (non, ut habet etiam Garatonius p. 101. Bonon. s. p. 189. Lips.: *impedito*). Saxonicus habet: *et inpedito* (sic).

Cap. XIV. *Et* (non: *Ut*) *mihi videlicet in causa.* —

Cap. XIX. *Ille latronum occultator et receptator locus*] *Receptor* est in libro (non: loco) vetusto: et statim, *devortit* (non: *divertit*).

Cap. XXII. *Heus tu Ruscio*] In vetusto libro est, *Heus tu Rufio* (non: *Fufio*), *verbi causa: cavesis mentiaris.* In altero quoque: *Verbi causa: cavesis mentiaris* legitur.

Cap. XXIV. Fabricii quoque Cdd. habent *nescio qui de circo maximo:* non *ex*, ut est apud Graevium.

Cap. XXVII. *Sed hunc Cn. Pompeium*] Hunc non esse Pompeium magnum, qui consul pro aerario sedebat, certum est. Sunt qui *Q. Pompeium*, tribunum pl. inimicissimum Milonis intelligant; sed nec ille iudex placet, cum praesertim vetus liber habeat, *Sed hunc C. P.* (non, ut dedit Graevius, *Cn. Pomp.*) *Varium, fortissimum atque optimum civem;* alter: *Sed hunc Crispum Varium fortissimum.* Unde erroris in vulgata scriptura causa deprehenditur. Nam alii duas literas *C.* (non: *G.*) *P. Crispum*, alii *Cn. Pompeium* significare putarunt: atque hi (non: si) longius progressi ex *Vario*, *virum* fecerunt. Ego *P. Varium* lego, et literam *C.* (non: *G.*) bis a (non: in) librario, ut fit, scriptam (non: scriptum) esse arbitror.

Scantia] In vetustiore manusc. nomen hoc nonnihil depravatum est, sed ita, ut *Sentia* (non: *Sanctia*, ut habet Graev.) fuisse videatur.

Cap. XXVIII. In Fabricii Mss. est: *non queo vetera* (non: *caetera*) *illa.*

Cap. XXXIII. *Nisi vero sustinuistis eos*] *Sustinetis* (non, ut est apud Graev. *sustinuistis*), ut fui impressum, nostri manuscripti habent. In iisdem est *cum facibus ad Castoris*, pro quo alii legunt, *cun falcibus* (non: *fascibus*, ut habet Graev.) *ad Castoris*

Cap. XXXVI. *Si qua dimicatio* (non, ut es apud Graev. *diminutio*) *capitis futura* legit etiam uterque codex Fabricii.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

P. 42. v. 7. ab ima pagina, ut hic semper numerabo] *neglexerint* l. *neglexerit.*

P. 43.] Cum Peyronio secutus sum optimi Codicis Bavarici aliorumque auctoritatem, ipsaque hac ratione a vulgari aliquantum recedente, animi perturbationem, qua oppressus erat, oratorem significare voluisse censendus est. Grammaticis vero regulis innixus lectionem: *nam illa praesidia — — afferunt tamen oratori terroris aliquid* unice probat Criticus Ienensis *Iuny* 1825. p. 490. qui Garatonii tamen commentario videtur caruisse. Hunc enim unquam si legisset, facile, ni fallor, perspexisset, interpolatoribus deberi et *oratori* et *terroris*, et *horroris;* Tullium ipsum si probe perpendisset, vix tam languidam ei tribuisset sententiam. Attamen, si omnino tolerari nequit lectio Bavarica, praeferenda sane ceteris Garatonii coniectura *nec.*

P. 44. v. 12.] Memorabilem illam lectionem *orationi* veram censet idem Criticus Ienensis, neque aliter possunt, qui in praecedentibus *oratori* tolerant.

Ibid. v. 7.] *aequo.* Haud l. *aequo* haud.

Ibid. v. 3.] Haec sic refingenda: *Omnes quidem Milonis virtuti favent, sed (id quod maius est) de se praeterea, deque suis fortunis decertari putant.*

P. 45. v. 22.] est — siquidem — *lege:* est: siquidem.

P. 46. v. 1.] Verba *deligere* ac *diligere* accurate iam distinguit scriptor *ad Herennium* L. 4. C. 21. §. 29.

P. 48. v. 17.] non tam — *lege*: non —

P. 49.] *quae venit in iudicium*] Criticus Ienensis praefert lectionem: *quae veniat.* At certa res est, quae venit in iudicium

Ibid. v. 12.] et ipsa — *lege:* tum ipsa —

P. 51.] cfr. C. Iulium Victorem *Maii* p. 80. qui habet *interim* pro *aliquando.*

P. 55.] *Caius*] Criticus Ienensis legi iubet *Gaius.* Euge!

P. 61. v. 7.] Grammatici evanescit *lege:* Grammatici, evanescit.

Ibid. Col. 2. v. 23.] permiscue *lege:* promiscue, uti recte est altera in columna.

P. 69. v. 12.] ac Ligoriano *lege:* at *vel* sed Lig.

Ibid. v. 4.] *Quinquem* lege: *Quinquenn.*

P. 70. v. 25.] Ebroduni *lege:* Eburoduni.

P. 71.] Non sine causa Criticus Ienensis probat lectionem: *magno, et impedito, et muliebri;* mihi quoque commemorabilem visam.

P. 74. v. 16.] Bobbiensis S. Taurinensis *lege:* Bobbiensis s. Taur.

P. 79.] Atque *permultas* lege: Atque per*multas.* Ceterum cfr. Criticum Gottingensem *Octob.* 1825. p. 1600. qui nullum hic defectum agnoscit. Rectius iudicat acutissimus Beierus. *Fragm. Oratt. Cic. maiora* (ante non habueram nisi specimen academicum) p. 131. quem consule aliter, ac fecit Peyronius, defectum illum supplentem.

P. 82.] Cfr. Schroeder in *Hermes, Zeitschrift* T. XXIV. p. 357.

P. 93.] Locum hunc sic affert C. Iulius Victor p. 50. ed. Maii: *cum ante diem tercium dixerit Clodius Milonem periturum: eum ille non dubitaverit praedicere quid esset facturus, vos dubitatis pronuntiare quid fecerit?*

P. 116. v. 7.] *Pritio* lege bis: *Prilio* —

P. 117. v. 8.] correctione, falsae *lege:* correctione falsae.